



BIBLIOTECA  
COMUNALE  
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI  
DI TRENTO  
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE  
**CARITRO**  
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

TRENTO (DIOCESI), *Constitutiones illustrissimi, et reverendissimi domini d. Ludovici S.R.E. tituli Sancti Laurentij in Lucina, presbyt. cardin. Madrutij, episcopi Tridenti, &c. in dioecesana Synodo promulgatae anno 1593*, Trento, Giovanni Battista Gelmini, 1594.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T o f 18

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/71>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

6577

T. 1. f. 87

stitutiones  
Synodales

1462

BIBLIOTECA  
COMUNALE  
TRENTO

G
2
f
145

BIBLIOTECA COMUNALE  
TRENTO

K 1123552  
D 1123543



*ex libris*



K 1123552

D 1123543

5tci  
T O f 18

Tinqua

# CONSTITVTIONES

ILLVSTRISSIMI,  
ET REVERENDISSIMI DOMINI  
D. LVDOVICI S. R. E. TITVLI  
Sancti Laurentij in Lucina, Presbyt.  
Cardin. Madrutij, Episcopi  
Tridenti, &c.

IN DIOECESANA SYNODO  
Promulgata Anno 1593.



TRIDENTI,

Apud Ioan. Baptistam Gelminum. 1594.



*Handwritten signature: Gio: Baptistam Gelminum. 1594.*  
*Handwritten signature: Gio: Baptistam Gelminum. 1594.*

CONSTITUTIONS

THE VESTRY

IN PARISH OF ST. MARY

IN THE CITY OF LONDON

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840

AND IN THE PARISH OF ST. MARTIN

IN THE CITY OF LONDON

IN THE YEAR

1840



# VDOVICVS

Miseratione Diuina S. R. E.  
Tit. S. Laurentij in Lucina,  
Presbyter Card. Madrutius,  
Episcopus Tridentinus &c.  
Vniuersis, & singulis seculariũ,  
& regularium Ecclesiarũ Præ-

latis, Decanis, Præpositis, Canonicis, Prioribus, Plebanis, Parochialiumq; Ecclesiarum Rectoribus, Capellanis, cæterisq; Beneficiatis, Curatis, & non Curatis, quibuscunq; per Ciuitatem, & Diocesim nostram vbilibet constitutis salutem, & sinceram in Domino charitatem. Cum primum sic Deo disponente, ad huius Ecclesiæ Episcopale munus admoti fuimus, illud præcipuè studuimus, vt illius regiminis rationem ad Diuini nominis gloriam, & populi nobis commissi salutarem directionem, iuxta sacri Tridentini Concilij præscriptum institueremus. Quum enim immensa Dei clementia ad totius orbis Christiani salutem illud in hac nostra Ciuitate inchoatum & perfectum vidissemus, faciliè intelligere potuimus, vltra obedientiæ debitæ rationem [ quæ nobis cum omnibus Episcopis in gratia & communionem Sedis

Apostolicæ constitutis, communis est J ipsum huius Sacri Concilij nomen nos quasi specialiter admonere, vt promptiori studio saluberrimas illius constitutiones, & decreta, tanquam falcem quandam assumeremus, qua sentes, & vepres, qui temporum iniuria in hac vinea, quæ Diuina voluntate nobis excolenda obtigit, excinderentur. Vbi itaq; per difficultates, & impedimenta, quæ regiminis nostri initia exceperunt, licuit, per plures visitationes, quas partim per nos ipsos, partim per deputatos idoneos viros obiuiimus, per diuersa etiam decreta, ac serias admonitiones id, quantum in nobis fuit, egimus, vt ipsius Episcopalis officij functiones ita dirigerentur, vt quoad fieri posset, tam clerus, quàm populus nostræ diœcesis, traditæ à sacro Concilio Tridentino disciplinæ, vita & moribus responderet. Vnde etiam sæpius Prædecessorum nostrorum Synodales constitutiones quibus huius Episcopatus regimen maximè niti videbatur, ad prædicti Concilij præscriptum reformare cupiuimus; verùm cum publicis, ijsq; grauissimis de causis sæpius hinc auocati fuerimus, diutius, quàm volebamus, id differre coacti fuimus. Tandem verò Dei benignitate opportunitatem toties desideratam nacti, vnà cum Ven. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ nostræ, & totius Cleri synodali præsentia constitutiones à bo. me. Cardinale Bernardo, & pluribus alijs Prædecessoribus nostris longa serie ad huius diœcesis vsus, & necessitatem accommodatas, Diuino implorato

plorato auxilio , matura deliberatione præhabita,  
prout horum temporum ratio exigere videbatur iux-  
ta Sacri Concilij regulas , & dispositiones innouauimus,  
ampliauimus , ac reformauimus , prout etiam  
præsenti earum publicatione, & editione innouamus,  
ampliamus , & reformamus , auctoritate nostra ordi-  
naria . In virtute sanctæ obedientiæ , ac sub pœnis,  
& censuris in illis contentis , vos districtiùs requiren-  
tes , quatenus huiusmodi constitutiones , & statuta  
prompto affectu suscipiatis , & pro statutis synodali-  
bus obseruetis . Omnia tamen , vt debemus , sanctæ  
Sedis Apostolicæ iudicio submittendo , ac saluis etiã  
patriarchalibus ordinationibus , & dispositionibus ,  
nec non aliorum Prædecessorum nostrorum  
constitutionibus , quatenus in vsu sunt ,  
& per præsentem has nostras non sunt  
aliter declaratæ , seu correctæ ,  
quibus derogare non  
intendimus .



DE PROFESSIONE FIDEI.

Cap. 1.



VM Eorum omnium, qui Iesu Christi Saluatoris nostri gregi pascendo, præpositi sunt, præcipua cura esse debeat, ut fidem, sine qua impossibile est placere Deo, unam illibatamq; conseruent, ac fideli populo proponant, & prædicent: Nos hanc fidei unitatem in Diocesi nostra, quoad fauente Deo, possumus, integram, & ab omni labe sinceram seruare uolentes; duximus constitutionibus nostris Synodalibus præmittendam esse eiusdem Fidei professionem, ea forma quam sanctæ mem. Pius iiii. Pontif. Max. ex generalis Concilij Trid. sententia præscripsit; uidelicet. **CREDIMVS** & profitemur omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur. **CREDO** in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, uisibilem omnium, & inuisibilem: & in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, & ex patre natum ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero, genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria uirgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterum uenurus est cum gloria iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & unificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & cōglossificatur: qui locutus est per Prophetas, & unam sanctam Catholicam,

*Fidei professio.*

4  
ricam, & Apostolicam Ecclesiam: Confiteor unum Bap-  
tisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectio-  
nem mortuorum, & uitam uenturi seculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, & reliquasq; eius-  
dem Ecclesiae obseruationes, & constitutiones firmissimè  
admittimus, & amplectimur. Item sacrâ scripturam iuxta  
eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia,  
cuius est iudicare de uero sensu & interpretatione sacrarû  
scripturarum, admittimus; nec eam unquâ nisi iuxta una-  
nimem cōsensum patrum accipiemus, & interpretabimur.  
Profitemur quoq; septem esse uerè, & propriè Sacramenta  
nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque  
ad salutem humani generis (licet nō omnia singulis neces-  
saria) scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiâ,  
Pœnitentiam, Extremam unctiōem, Ordinem, & Matri-  
monium: illaq; gratiam conferre, & ex his Baptismum,  
Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari nō  
posse. Receptos quoq;, & approbatos Ecclesiae Catholi-  
cæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solen-  
ni administratione recipimus, & admittimus. Omnia &  
singula, quæ de peccato originali, ac de iustificatione in sa-  
cro sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerūt,  
amplectimur, & recipimus. Profitemur pariter in Missa  
offerri Deo uerum, proprium, & propitiatorium Sacrificiū  
pro uiuis, & defunctis; atq; in Sanctissimo Eucharistiæ Sa-  
cramento esse uerè, realiter, & substantialiter corpus, & san-  
guinem unâ cum Anima, & Diuinitate Domini nostri Ie-  
su Christi; fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in  
corpus, & totius substantiæ uini in sanguinem: quâ conuer-  
sionem Catholica Ecclesia transubstāuationem appellat.  
Fatemur etiam sub altera tantum specie, totum, atq; inte-  
grum Christum, uerumq; Sacramentum sumi. Constā-  
ter tenemus Purgatorium esse, animasq; ibi detentas, fide-  
lium suffragijs iuari; similiter & Sāctos unâ cum Christo

regnantes, uenerandos, atq; innocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias esse uenerandas. Firmissimè asserimus, imagines Christi, ac deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habèdas, & retinendas esse; atque eis debitum honorem, ac uenerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmamus. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnoscimus: Romanoq; Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, uerã obedientiam spondemus, ac iuramus: cetera item omnia à sacris Canonibus, & Occumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipimus, atq; profitemur; simulq; contraria omnia, atq; hèreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, nos pariter damnamus, reijcimus, & anathematizamus. Hanc ueram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentì, sponte profitemur, & ueraciter tenemus, eandem integram, & inuiolatam usque ad extremum uite spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atq; à nostris subditis, uel illis, quorum cura ad Nos in nostro munere spectabit, tene ri, doceri, & prædicari, quantum in Nobis erit, sumus curaturi.

*Fidei professio quibus emittenda.*

Volumus autem ut qui in hac nostra Diocèsi ad Canonica-  
tus, & dignitates quascunq; etiam regulares, ac beneficia  
curata promoti fuerint, hanc fidei professionem emittant,  
secundum præscriptum Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. incip.  
Cum dignitates in Ecclesijs &c.

Et quia in hac nostra Diocèsi, multis locis cõtingit Parochos  
ob populi frequentiam, & parochiarum amplitudinem,  
plures habere cooperatores, quibus confessiones audiendi,  
&

5

& Diuini verbi prædicandi munus communicatur; Statuimus, ne quis in cooperatorem assumatur, nisi prius in nostra, aut Vicarij nostri, aut de nostro, vel Vicarij nostri m<sup>a</sup> dato, in alterius manu, fidei professionem emisericit.

Monemus verò omnes, qui ex præcepto sacri Conc. Trident. fidei professionem emittere tenentur, præcipuè autè illos, quibus animarum cura quoquomodo incumbit, ut attentè & diligenter emissæ professionis fidei formam, & quæ in illa continentur considerent, curentque ore prolata, opere adimplere, docendo subditos suos, & Plebem sibi commissam, ut in suscepta à maioribus fide cōstanter perseuerent; Constitutiones, traditiones, statuta, & cęremonias sanctę matris Ecclesię obseruent; Summo Pontifici, tanquā uero Christi in terris Vicario, debitam obedientiam præstent.

## DE HÆRETICIS.

### Cap. 2.

**E**T cum hæresis fidei catholicę, ut certissima pestis, aduersetur, omni studio est elaborandum, ne illius contagione grex fidei nostrę commissus inficiatur. Statuimus itaque ne quis in hac nostra Diœcesi, ea docere, tenere, credere, aut asserere quouismodo præsumat, quæ Sancta, Catholica, Romana Ecclesia damnat, & anathematizat. Libros item, scripta, & tractatus ea continentes nullus importare, uendere, emere, recipere, legere, aut quomodolibet penès se tenere audeat, sub pœnis, quæ tam in Summorum Pontific. & sacri Conc. Trid. quàm Orthodoxorum Imperatorum, & Catholicorum Principum constitutionibus, necnō nostrorum Antecessorum decretis continentur. Quare uniuersis, & singulis, tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus personis, districtè in uirtute sanctę obedientię, & sub censuris Ecclesiasticis præcipimus, ut exclusa omni malitia, si quos sciunt hæreticos, uel de hæresi qualitercunq; suspectos, eos Nobis, aut Vicario nostro sine mora reuelare

*Hæretici reuelandi.*

A 5 pro-

*Hæreses su-  
specti denun-  
ciandi.*

procurent. Prælati insuper, & Ecclesiarum parochialium Rectoribus committimus sub eisdem pœnis, & alijs arbitrio nostro infligendis, vt si quos intellexerint disseminare errores, aut hæreses, conuenticula facere, de fide, & religione obloqui, prohibita, & damnata lectionis libros, tractatus, aut scripta palam, vel occultè tenere, aut legere, tales Nobis quamprimum denuncient; tum verò diligenter vultum sui gregis obseruent, & si quos inordinatè ambulare, neque per omnia ad fidelium vsum iuxta statuta, ordinationes, & laudabilem, antiquam Catholicæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem sese conformare cognouerint, eos in Christi visceribus moneant, & corrigant; quos si contumaces, ac deprauato affectu perspexerint, de eo Nos, vel Vicarium nostrum quantocius edoceant.

*Qui hæreticos scienter occultat nõ absoluenti.*

Moneant etiam confitentes, vt si quos nouerint de hæresi suspectos, Ecclesiastico Iudicio denuncient, ostendantq; ex charitate, & obedientia erga sanctam matrem Ecclesiam, eos ad hoc teneri, cum & errantium ipsorum correctio, & reliquorum salus ex eo pendeat, ut latens virus detegatur: intimando penitentibus, illos beneficium absolutionis obtinere non posse, si hæreticos, & ab Ecclesia desciscentes scienter occultauerint.

*Curati vigilent contra hæreses.*

Et quia publici commercij ratio in his locis, secum trahit promiscuum quandoq; hominum concursum, etiam ex locis, vbi hæresis impunè grassatur; Curati diligentiores sint, precipuè nundinarum tempore, in inuestigando, an per diuersoria, de religione sermones habeantur, & à quibus, & quales; an libri prohibiti adferantur, disseminenturq; an diebus, quibus ab Ecclesia interdictum est vesci carnibus, illæ mensis apponantur, & similia. Et si quid tale repererint, Nos, aut Vicarium nostrum certiores reddant, suos subditos frequenter, ac diligenter admonentes, vt stabiles in fide, aures nullis nouitatibus accommodent. Quòd si Parochi cõpererint, opinionones dånatas disseminari, vel aliàs per-

peruerſorum hominum diſtis, aut factis tentari, ac labefa-  
ctari fidem, & conſcientiam puſillorum; tales redarguere,  
& Catholicæ veritatis rationibus conſutare ſtudeant, im-  
pijsq; eorum conatibus ſeſe opponant, etiam inuocato (ſi  
opus fuerit) brachij ſecularis auxilio, Noſq; , aut Vicariũ  
noſtrum generalem de eo quantocius admoncant.

Cum etiam ex aliquibus huius noſtrę Diœceſis partibus mer-  
cimoniorum, vel alijs de cauſis, contingat pueros, & ado-  
leſcentes ad ciuitates, & loca hæreſi infecta, à ſuis ablegari;  
Parochi ſolicite parentes, vel maiores, aut in quorum ſunt  
potestate, dehortentur ne iuuenes, vel pueros ad huiusmo-  
di loca mittant, vel certe eos probatis, & catholicis viris  
diligenter commendent; ipſos verò iuuenes efficaciter ob-  
teſtentur, vt in religione catholica conſtanter perſiſtant;  
ne, dum momentaneum commodum ſectantur, æternæ  
ſalutis iacturam faciant: ſeque ſemper, dum in locis ſuſpe-  
ctis commorantur, virorum catholicorum, & proborum  
conſortio adiungant, hæreticorum familiaritatem, & con-  
ſuetudinem, quantum poſſunt, deuitantes.

*Pueri ad hæ-  
reticor. loca  
non mittan-  
tur.*

Deinde domum reuerſos Parochi diligenter examinent, an  
monitioni ipſis factæ ſatiſfecerint, hoc eſt, an catholicè  
vixerint, an ſtatutis ab Eccleſia temporibus peccata ſint  
confeſſi, & Sacram Euchariftiam ſumpſerint. Et ſi quos  
à via recta deflexiſſe, hæreticisq; imbutos eſſe opinion-  
ibus cognouerint, eos Nobis, vel Vicario noſtro quampr-  
imum denuncient.

Tum verò Parochi grauibus verbis dehortentur parentes, vel  
maiores, ſeu in quorum potestate ſunt iuuenes, ne omnino  
ad illas partes eos mittant, in quibus nullum catholicæ re-  
ligionis exercitium eſt relictum. Si verò Parochi viderint  
parentes, vel maiores tanquàm ſalutis ſuorum impiè pro-  
digos, hanc dehortationem contemnere, ſuumq; mittendi  
propoſitum exequi, tales, vt de hæreſi vehementer ſuſpe-  
ctos, non tantum diligenter obſeruent, ſed etiam Nobis,

*Qui pueros  
ad heretico-  
rũ loca obſt-  
natè mittunt  
denunciandi.*

uel Vicario nostro denuncient.

*Ex dñi magi-  
stri fidei pro-  
fiteantur.*

Et quia non solent deesse, qui ipsam teneram iuuentutem erroneis opinionibus inficere conantur, ordinamus, ne quis posthac ullo pretextu ad docendi munus admittatur, ne ad ipsa quidem prima litterarum elemēta tradenda, nisi prius professionem fidei in manibus Parochi, in cuius parochia munus exercere uolet, emiseric; quam si eorū quis facere detrectauerit, illico Nobis, uel Vicario nostro denunciet.

*qualia s̄ scho-  
lis docean-  
tur attendē-  
dum.*

Mandamus proinde ut Parochi diligenter pernoscere studeāt institutores puerorum suæ parochiæ, uideantq; ut sese huic constitutioni per omnia conforment. Et qui ab Ecclesijs, uel Parochis stipendium accipiunt, præsertim per districtū Athesinum, nisi quæ ad latinam linguam pertinent, diligenter docuerint, Parochi eos propria auctoritate ab officio remoueat. Super omnia autem curent Parochi, ne quid à Magistris Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarium prælegatur, aut in discipulorum manibus uersetur: Scholam etiam cum oratione; VENI Sancte Spiritus: inchoent, & cum Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Symbolo Apostolorum, & Decem præceptis, ac aliquid gratiarum actione terminent.

DE LIBRIS PROHIBITIS,  
& Typographis. Cap. 3.

*Seß. 4. decr.  
de edit. libr.  
incip. super  
eadem.*

*Libri dāna-  
ri profligandi*

CVm etiam ex nimia librariorum, & Typographorum licentia magna immineant pericula; Nos ut illis, iuxta Decretum sacri Conc. Trid. opportunè occurramus; statui-  
mus, & prohibemus, ne quis siue incola fuerit, siue peregrinus, libros damnatorum, aut suspectorum auctorum secundum Indicem Romanum, & eius Regulas, in hanc nostram Diocesim, & ditiones inferre, aut uenales tenere audeat, sub pœna confiscationis librorum, & alijs nostro, seu Vicarij nostri generalis arbitrio infligendis.

Statui-

Statuimus item, & ordinamus, ne Parochi locorū, in quibus  
statis anni temporibus, nundinae celebrantur, ullos libros  
uenales proponi patiantur, nisi Bibliopolae ipsis eorum in-  
dicem, seu catalogum prius exhibuerint examinandum;

*Librorū in-  
dices exami-  
nandi.*

Quod ut accuratius obseruetur, districtè præcipimus omni-  
bus cuiuscunque status Præfatis, & Iudicibus Terrarum,  
Iurisdictionum, & locorū temporalis Dominij huius Ec-  
clesiæ Trid. cæteros uerò serio in Domino requirimus, ut  
Parochis in huius nostri decreti executione, sua auctorita-  
te, & auxilio adsint, ut si contigerit damnatae lectionis li-  
bros penès aliquem reperiri, curent iuxta præmissa, contra  
importantes, & tenentes seuerè procedi.

Si item reperti fuerint libri, aut scripta, siue tractatus, cãtilenę,  
aut similia, uernacula & uulgari lingua, composita, in qui-  
bus contineantur hæreses, seu errores, aut scandalosa; ea  
licet in Indice Romano non contineantur, Parochi diligen-  
ter colligant, neque patiantur euulgari, curentq; ut contra  
similia importantes, ut supradictum est, pro modo culpæ  
seuerè procedatur.

*Scripta oia  
scandalosa  
infectanda.*

Idem facient de picturis, quibus uel religio catholica traduci-  
tur, aut hæresis simplici populo obruditur.

*Picturę scan-  
dalosę.*

Admonemus etiam Decanos Rurales, ut pro uiribus, & ipsi  
non tantum in proprijs parochijs, sed etiam in totis suis  
Decanatibus in hoc aduigilent, ipsos Parochos sui officij  
admonendo, & si necessitas postulabit, brachium seculare  
contra inobedientes inuocando. Quod si in hoc remissiuis  
viderint procedi, de eo quamprimum Nos, seu Vicarium  
nostrum certiozem faciant.

*Decani sint  
vigiles.*

Impressores uerò iuxta modum eis à sancta Triden. Synodo  
præscriptum, nullum librum, uel quodcunque scriptum  
tam antea ubiuis locorū impressum, quam non impressum,  
excudere possint sine nostra, uel Vicarij nostri licentia, ipsa  
uerò Originalia cum exemplis concordantia, in Archiuo  
nostro

*Sess. 4. decr.  
de edit. s. sed  
et impresso-  
ribus.*

nostro reponi volumus, ne cui fraudi locus relinquatur.  
Contrafacientes, præter exemplorum amissionem, alias  
pœnas nostro arbitrio luent.

## DE BLASPHEMIS.

### Cap. 4.

*Bulla p̄y v.  
incip. cū pri  
mum Ap̄o  
Solatus.*

**V**T Populus à Blasphemix abominabili peccato sese con  
tineat, Parochi, & verbi Dei concionatores eius enor  
mitatem sæpè exponent; pœnas à lege Diuina, à sacris Ca  
nonibus, à Summis Pontificibus, ab Imperatoribus, à Ca  
tholicis Principibus, ac nostris etiam Antecessoribus in  
blasphemos promulgatas, ipsis ob oculos ponendo.

Interim etiam in Domino monemus, & districtè mandamus  
quibusuis iudicibus tam Ecclesiasticis, quàm secularib⁹, vt  
contra huiusmodi Maieſtatis Diuinæ contemptores debi  
tis pœnis procedant.

*Conc. Trid.  
ſeſſ. 4. in fine*

Et quoniam reprimenda est etiam eorum temeritas, qui sacrę  
ſcripturæ verbis, & ſententijs abutuntur ad profana, fabu  
loſa, ſcurrilia, vanitates, ac ſcommata, contumeliasque  
eas conuertentes; ſi quiſquam id facere deprehenſus fue  
rit, pœnis debitis ſeuerè contra eum, iuxta ſupradictarum  
legum rigorem procedemus.

## DE SUPERSTITIONIBVS.

### Cap. 5.

**L**ICET Diuina lex maximè deteſtetur Magos, Striges,  
Ariolos, Incantatores, Diuinos, Sortilegos, & id genus  
ſuperſtitioſos, & maleficos homines; ac contra tales, & il  
lis credentes, illos conſulentes, eorum opera vtentes, non  
tantùm extent ſeuerę Dei comminationes, ſed etiam legi  
bus tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus grauiffimę illis pœ  
næ infligantur: nihilominus intelligimus huiusmodi dia  
bolicas

bolicas impietates, & abominationes nondum à nostro Episcopatu planè exulare. Proinde districtè mandamus, vt contra quoscunque maleficos, striges, incantatores, necromantas, diuinos, & id genus sacrilegos impostores, ligaturis, characteribus, incognitis figuris, imaginibus, verbis ignotis, dæmonum inuocationibus, adorationibus, sacramentorum, aut sacramentalium abusu, & profanatione, aut quolibet alio modo superstitioso, de futuris contingentibus inuestigantes, thesauros, & res perditas simili modo inquirentes, pluuias, siccitates, tempestates procurantes, maleficia inducentes, aut etiam maleficio soluentes, aut quomodolibet superstitiosa, vana, perniciosa, vt præfertur, attentantes, necnon illos de his, & similibus consulentes, illis fauentes, & cooperantes seuerè secundum sacrorum Canonum præscripta, & Summorum Pontificum Constitutiones, pro modo culpæ, etiam tanquam contra suspectos de hæresi, aut apostasia à fide, procedatur.

*Contra maleficos procedendum.*

Moneantq; Parochi, fideles omnes, sub pœna excommunicationis, vt si tales nouerint, illos Nobis, aut Vicario nostro denuncient.

*Malefici denunciandi.*

Et quia plerunque contingit, aliquos animi simplicitate in hæc delabi, non attendentes delicti grauitatem; iniungimus Parochis, & Curatis, necnon verbi Dei concionatoribus, ac Confessoribus, vt fideli populo etiam in casu amissionis rerum suarum, accessum ad diuinatores prohibeant, sæpeq; in mentē reducant, quàm Deo abominabile sit hoc delictum, quod cum manifesta, aut certè occulta dæmonum societate coniunctum, illaqueatas animas tenebrarum potestati mancipat. Ac propterea moneant eos, vt non solum grauiore, & atrociores species superstitiosarum impietatum, sed etiam illas euitent, quæ leuiore, & vanæ videntur: cum ubiq; sese his inimicus dæmon sua operatione, ad fallendas, & in præceptis trahendas animas, immisceat. Si verò moniti non respuerint, tunc Nobis, aut Vicario

*Accessus ad diuinatores prohibendus.*

*Maleficialia  
instrumenta  
Vic. exhiben-  
da.*

cario nostro sine mora eos indicare teneantur.  
Si cui Parocho, aut Curato, vel Confessario instrumēta, scri-  
pta, aut alia ad huiuscemodi artium diabolicarum exerci-  
tium facta à poenitentibus, aut alijs exhibita fuerint, ea  
quamprimum Vicario nostro Generali tradant.

## DE PRÆDICATIONE Verbi Dei. Cap. 6.

*Orati ver-  
bum Dei præ-  
dicent.*

*Sermo cap-  
tui auditorii  
accommodan-  
dus.*

*Iuxta sensū  
Ecclesie præ-  
dicandum.*

*Necessaria  
ad salutē ex-  
plicanda.  
Conc. Trid.  
sess. 5. c. 2. de  
refor.  
sess. 24. c. 4  
de refor.*

**Q**uoniam ad culturā agri domiini, ipsi verbo Dei inest  
vis incomparabilis, ad nemus curam animarum exer-  
centes, vt præcipuam officij sui, ac sollicitudinis par-  
tem positam esse meminerint in eiusdem verbi prædicatione,  
ex qua vt populus ipsis commissus maiorem fructum ca-  
piat, eos in Domino hortamur, vt sermonem suum captui  
eiusdem populi accommodent, præcipuè huc respiciētes,  
vt fidei Christianæ rudimenta, & salutis monita tradentes,  
pietatis, & religionis documenta fidelium animis, Deo co-  
operante, imprimant: ac proinde in Dei verbo meditentur  
die ac nocte, scientes omnem scripturam diuinitus inspira-  
tam vtilē esse ad docendum; & verbum Dei esse malleū  
conterentem petras; & sæpe in simplicitate suscipi à pusil-  
lis, & paruulis trementibus sermones eius.

In exponendo verò sacro Euangelio, & verbo Dei annuncian-  
do, nullibi ab intelligentia Sanctæ matris Ecclesie desce-  
dant, vnanimem sanctorum Patrum eiusdē Ecclesie Do-  
ctorum interpretationem, & sententiam, sine hæsitacione  
sequentes: atque hac salutari doctrina innixi, dominicis, &  
festiuis diebus, quando populus maiore frequentia ad Ec-  
clesias conluit, ea præcipuè explicabunt, quæ omnes scire  
necessarium est ad salutem.

Tum verò diligenter meditentur, quæ sacrum Conc. Triden-  
sibus à Parochis, diuersis occasionebus potissimū expo-  
ni, & doceri mandat. Quare Catechisimum Romanum,

&

& ex modernis illos auctores, qui omiſſis ſuperſtuis quaſtionibus, ea tractant, quæ ſideli populo his temporibus pro reſta fidei, & pietatis inſtructione ſunt proponenda, aſſidue perlegant.

Maximè verò curabunt, vt populus intelligat grauitatem delictorum, eorum præcipuè, quæ frequentius in ipſorum Parochijs committuntur, ea denique ſæpius inculcabunt, quæ ad vitam piè, & Chriſtianè inſtituendam requiruntur. In fine autem ſermonis ſemper vulgari lingua orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decem præcepta ſubiungant.

*Populo qua inculcanda.*

*Predicatio quo ſine terminanda.*

Obscuras, ac indeterminatas quaſtiones, audientium captum excedentes, quæ ad pietatem parum, vel nihil faciunt, omittant.

*Quæ omittenda.*

Apocrypha, vana, fabuloſa, & Euangelicæ prædicationis grauitate indigna, euitent.

*Quæ vitanda.*

Hæreticorum opiniones, & argumenta è ſuggeſtu non referant, niſi quando id neceſſitas poſtulat: atque tunc ita ſint inſtructi, vt dilucidis, & claris reſponſionibus ea diluere valeant; ne vllus in mentibus audientiū ſcrupulus hæreat.

Amarulentias, aut inconcinnum rigorem, quo auditores non ædificantur, fugiant: vbi verò verborum acrimoniam reſ ipſa poſtulat, ſit ſermo ſale conditus, & ſpirans caritatem; ſeueritas pungat, & dirigat; percutiat, & ſanet.

In ſumma, hoc tantum munus ea caritate, prudentia, & aſſiduitate exequantur, quam ſidelis populi inſtructio, & ad ſalutem per mandatorum Dei obſeruantiam, directio poſtulabunt, ſciantque ad id efficiendum, magnum pondus acceſſurum eſſe, ſi vitæ innocentia, integritateq; miniſteriū verbi commendetur. Quòd ſi Parochi huic ipſorum Diuini verbi prædicandi officio non ſatiſfecerint, contra eos ſeuerè procedemus; & ad illa remedia deueniemus; quibus ipſorum negligentia, ac defectus ſuppleantur, iuxta Trid. Conc. præſcriptum ſeſſ. 5. c. 2. de refor. & ſeſſ. 24. c. 4.

*In parochorum innocentia magnum pondus eſt.*

## DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Cap. 7.

*Paruuli in  
fide Christiana  
erudiendi.*

**V**T teneræ ætatis animis fidei & religionis, vnde vniuersæ vitæ piæ instituendæ ratio pendet, rudimenta instillentur; omnes Rectores, Capellanos, & alias personas Ecclesiasticas hortamur, & in Domino ijs iniungimus, vt huic tam necessario operi diligenter inuigilent; paruulos, & quoscunque alios rudimentorum fidei ignaros; Dominicis, & Festiuis diebus in Ecclesijs congregent, ac contenta in libello sub nostro nomine, ea de re edito, studiosè ijsdè prælegant, & interpretentur.

Quod vt maiore cum fructu præstare possint; parentibus, tutoribus, ac patribus familiâs seriò mādamus, vt filios suos, & alios sibi subiectos ad saluberrimum hoc exercitium mittere non prætermittant.

## DE PRÆDICATORIBVS

extraordinarijs examinandis.

Cap. 8.

**Q**Via sæpe vsu venit, vt diuersorum ordinum Prædicatores, quadagesimali tempore ad villas, & Parochias per Diocesim nostram destinentur, admodum exiguo populorum fructu, dum uel nimium iuuenes mittuntur, uel in ijs quæ ad ueram pietatem tradendam spectant, parum instructi.

*Prædicatores  
quales  
destinandi.*

Ideo præcipimus, & ordinamus, vt Vicarius noster, & qui ad hoc deputati sunt, iuxta locorum necessitatem, & qualitatem personarū illos dirigant; & si quos nouerint aliâs scandalosè se gessisse; uel non illa esse eruditione, & prudentia, vt prædicandi munus decenter exequi possint, tales nō admittant; neq; eis literas, aut patentes concedant, sine quibus à nullo Parocho nostræ Diœcesis quemq; religiosum volumus ad munus prædicandi extra regulares Ecclesias admitti.

Qui

Qui verò ad predicandi munus per Diocesim destinabuntur, serìò à Vicario nostro admoneantur, ut tã Parochos, quàm populos, ad quos mittuntur, paterna beneuolentia, & pietate prosequentes, munus suum cum caritate, & prudentia exequantur. Illa missa faciant, quæ rudis populi intelligentiam excedunt. Verùm cognito ex Parochis, & probis viris statu, & cõditione populi, ad eius se captũ accommodent; de Christianis virtutibus, & oppositis vitijs, prout necessitas exiget, ita tractent, vt ad salutaria auditores dirigãt, & ab illis peccatis, & vitijs, ad quæ procliuiiores nouerint, auocent.

*Ad captum  
populi prædicandum*

Et quia admissi ad concionandi munus, etiam ad cõfessiones audiendas approbantur; volumus, vt illis districtè inhibeat, ne sese in casibus Episcopo, ne dum Summo Pontifici Romano referuatis, ingerant. Et si quem ex rationabili causa à proprio Parocho absolutionem non impetrare cognouerint, talem neq; ipsi absoluant. Venientes ab alijs Parochijs sine ipsorum Parochorum licentia, omnino non absoluant, sub pœna suspensionis ab officio prædicandi, & confessiones audiendi in nostra Diocesi, & alijs ad arbitrium nostrum, vel vicarij nostri.

*A Parocho  
non absolutũ,  
neq; concionator  
absoluat.*

Moneantur, vt tam in concionibus, quàm in confessionibus salutari cum rigore tractent casus vsurarios, & illicitos, & quæ in præsentì Synodo statuta sunt, atque in admonitionibus ad Parochos, & Curatos editis continentur; diligenter obseruentur; tum etiam edicta, quibus damnatorum contractuum species proponi curabimus; attentè meditentur.

*Usurarij, &  
illiciti cõtra  
cõm in se cõtra  
di.*

Si quis autem ex istis concionatoribus (quod absit) in concionibus, uel alias se scandalosè gesserit, id Nobis à Parochis indicari volumus, vt contra eos iuxta dispositionem sacri Conc. Trid. scilicet. 5. cap. 2. de refor. procedi possit.

*Scandalosos  
concionatores,  
Parochi  
denuncient.*

DE SACRAMENTIS  
in genere. Cap. 9.

*sess. 7.*

**Q**uia Fidelis populi sanctificationem, & iustitiam Sacramenta Ecclesiae regulariter operantur, augent, & amissam reparant; Parochi docebunt iuxta sacri Conc. Trid. praescriptum, haec ipsa Sacramenta à Christo Domino Nostro, ad lapsam per peccatum naturam reparationem, instituta, Diuinam gratiam esse instrumenta, quibus inexhausta virtus passionis, & mortis eius dignè suscipientibus applicatur.

*sess. 24. c. 7.*

*Sacramenti  
admini-  
strandi  
vis expli-  
canda.*

In administrandis verò Sacramentis, volumus per Parochos, & animarum curam gerentes, exactè eum modum, & cetera monias obseruari, quae tum è Sacris Canonibus per Oecumen. Conc. Trid. tum in Rituali nostro praescribuntur: in primis diligenter obseruando, vt ante cuiusque Sacramenti administrationem, breuiter lingua vernacula ad captum ipsorum suscipientium, explicetur vis, & usus ipsius Sacramenti.

*Omnis auaritia  
species  
fugienda.*

Fugiant verò in administratione Sacramentorum, omnem speciem auaritia; neque quicquam ex pacto, uel conuentione exigant, sed Sacramenta ipsa bene dispositis, absque dilatione pro loco, tempore, & necessitatis exigentia, pie, & promptè administrent iuxta Ecclesiae institutum.

Post ipsa uerò Sacramenta administrata, non prohibentur recognitionem ex consuetudine debitam exigere, iuxta cap. ad Apostolicam, de Simon. In quo tamen caueant, ne offendiculum, aut scandalum praebent.

DE SACRAMENTO  
Baptismi. Cap. 10.

**D**oceatur populus, natura filios ire per Baptismum regenerari in filios, & haeredes uitae aeternae; qui cum propterea

rea differri minimè debeat, statuimus natum infantem quamprimùm, vel ad summum intra octiduum ad Ecclesiam esse deferendum, & baptizandum.

*Baptismus  
accelerandus.*

Parochus autem antequàm ad baptizandi actum deueniat, diligenter inquirat, an infans ob aliquod periculum fuerit baptizatus, & si repertus fuerit ritè esse baptizatus, eo casu, ne sub conditione quidem amplius baptizet, sed tantùm imposito nomine infanti, consuetas preces, sacram vnctionem, atque alia adhiberi solita, iuxta ipsum Rituale adiungat.

Et quia experientia docet, aliquando constare vix posse, an à laicis baptizatus, baptismum verè susceperit. Ideo ad mendandum in hoc Sacramento tam periculosè incertitudini, Parochus quomodolibet baptizatum, vbi probabiliter de baptismi validitate dubitat, baptizet iuxta modum præscriptum in Rituali.

*Sub cõditio  
ne quando  
Baptizandũ*

Doccant etiam Parochi diligenter formam, & materiam huius Sacramenti, admoneantq; omnes, viros iuxta, ac mulieres, ne facilè moueantur ad baptizandum infantem: sed tunc tantùm, quando probabiliter periculum mortis timeatur, nec copia est præsentis Sacerdotis, aut alterius Sacris initiati: & tunc adhibita aqua naturali, & simplice, accuratè vtantur integra forma. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Verba ipsa formalia semel tantùm proferendo.

*Baptismi for  
mam oēs do  
ceri debent.*

Moneant præterea Parochi infantum parentes, vt baptizandis sanctorum potissimùm nomina imponi curent, in quorum tunc fortem vocantur.

*Sanctorũ no  
mina bapti  
zandis impo  
nenda.*

Ad leuandos de sacro fonte infantes sit tantùm vnus compater, aut vna commater, vel ad summum vnus & vna: Neq; admittantur publicè criminosi, heretici, aut excommunicati, imò neq; illi, qui absque legitimo impedimento omiserint semel saltem in anno tempore ab Ecclesia cõstituto, peccata sua confiteri, & Sacram Eucharistiam sumere.

*patrini quos  
et quales nō  
admittendũ.*

Item

Item moneri volumus compatres, & commatres de spirituali cognatione, quæ in susceptione contrahitur, ac illius impedimento, iuxta Conc. Trid. declarationem, sess. 24. cap. 2.

*Impuberes  
patrini non  
admittendi.*

Statuimus etiam ut compatres, & commatres, non impuberes deligantur; ne videatur infans infantem offerre, ac sponforem se Deo pro alio constituere, qui quod promittit, non intelligat.

*In tēplo ba-  
ptizandum.*

Insuper improbamus illorum factum, qui citra casum necessitatis ambitiosè curant, suos infantes in domibus priuatim baptizari, posthabito templo Domini.

*Pompa ui-  
tandæ in ba-  
ptizari.*

Et cum baptizandi renuncient diabolo, & pompis eius; fideles admoneantur, ut filios regenerandos offerat cum deuotionis affectu, eas pompas deuittantes, quæ iactantiam, & ostentationem præferunt.

*Liber bap-  
tizatorum.*

Habeant insuper Parochi librum bene ligatum, & qui possit conseruari, & cum necessitas postulat, ad manus etiam post longum tempus haberi, in quo annotent nomen baptizati, patris, matris, & susceptorum, diem quoque, mensē, & annum: tum etiam si infans illegitimus, aut ex incerto patre natus est.

Reliqua ad Sacramentum hoc ritè administrandum pertinentia, ex Catechismo Romano, & Rituali nostro petantur.

## DE SACRAMENTO Confirmationis. Cap. II.

*Confirma-  
tionis effe-  
ctus populo  
inculcandus*

**P**ER baptismum renati, Sacramento Confirmationis augentur in gratia, & perfectum animi robur accipiunt, ac ad luctam contra Diabolum, Mundum, & Carnem arman-  
tur, quò stables in fidei susceptæ confessione, perfectos se Christi milites exhibeant; quod à Parochis populo Dei diligenter inculcari volumus.

*Adulti cen-  
firmandi cõ-  
fiteantur.*

Moneant pariter Sacramentum hoc summa reuerentia, deuotione, humilitate, ac omni puritate, præuia in adultis

con-

confessione, suscipiendum esse. Nulli minori septennio  
præbeatur.

Parochi priusquam sacrum Chrisma sit administrandum, doceant confirmandos de huius Sacramenti institutione, materia, effectu, & Ministro, iuxta illa, quæ in Catechismo ad Parochos traduntur. Quod etiam Episcopus, huius Sacramenti minister ordinarius, de more præstare solet.

Teneant Parochi librum, in quo nomina Confirmatorum, & Compatrum describantur, uti de baptizatis iniungitur. *Liber confirmatorum.*

Admoneantur præterea susceptores, & suscepti, de spiritali cognatione, quam contrahunt; & de onere, ac obligatione doctrinam Christianam confirmatos docendi.

Decet etiam ne mulieres adultos, neque viri adultas, teneant; sed in utrisque seruetur sexus conformitas; & ne iunior seniorem offerat, atque in vniuersum, qui non fuerit confirmatus, & eo anno non fuerit sua peccata confessus, & Eucharistiam non sumpsit, qui orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decem præcepta non calleat; item publicè criminofus, hæreticus, aut aliàs excommunicatus: Hi, inquam, nullo pacto confirmandum offerre præsumant. Pater, & Mater, filium, aut filiam non offerant. Denique offerentes quicumque, nullis armis instructi accedant.

*Confirmandum offerre qui prohibentur.*

## DE SACERDOTIBVS AD SACRVM

Chrisma conficiendum mittendis.

Cap. 12.

**N**E propter defectum clericorum, qui in die Cœnæ Domini ad sancti Chrysmatis confectionem necessariò requiruntur, aliquod scandalum oriatur; Prædecessorum nostrorum Decreto in hæretes, mandamus, ut in illam diem per Rectores Ecclesiarum parochialium, & alios ex infra-scriptis sex Decanatibus, & alijs Ecclesijs nostræ Diocesis

sis, mittantur Sacerdotes viginti quatuor, videlicet ex Prepositura Sancti Michaelis ad Athesim, mittatur Sacerdos vnus: Ex Decanatu ad longum Athesim, quinque: Ex Decanatu Bulzani duo: Ex Decanatu Vallium Annanig & Solis quinque: Ex Decanatu Iudicariarum, quinque: Ex Clero Archi vnus: Ex Decanatu Ripano, vnus: Ex Decanatu Vallis Lagarinæ, quatuor. (Cura autem, & munus deputandi eos, qui quotannis mittendi sunt, Decanis Ruralibus incumbat.) Qui quidem Sacerdotes hora congrua, sub pulsu campanæ magnæ, vt moris est, præstò adfint in Ecclesia Cathedrali, cum alijs officium peracturi. Et eo finito, ac chrismate consecrato, teneantur pro omnibus illis, à quibus missi sunt, secum Chrisma deferre, distriçtè prohibentes ne ab illis, aut alijs nostræ Diocesis Sacerdotibus, & Curatis ad Chrisma recipiendum laicus vllus mittatur, neque Sacrista ulli laico illud deferendum dare præsumat. Contrafacientes poena decem librarum mulctentur, applicanda eorum Parochiali Ecclesiæ.

*Laicus nllus ad Chrisma deferendum mittatur.*

*Orde super hoc  
Contributiones alias  
Bernardi Cajj*

Quòd si fortè contingat Tridenti Chrisma non confici; tunc ipsi Decani foranei pro tempore prouidebunt, vt Tridento deferatur; & classes singulæ prædictorum Decanatum mittant Sacerdotem ad suum Decanum, à quo Chrisma accipiat pro sua classe: Contribuendo ipsi Decano libras singulas in singulos suæ classis Plebanos, pro sumptibus in deferendo factis.

## DE SACRAMENTO Eucharistiæ. Cap. 13.

**D**E sacro hoc admirabili, & tremendo mysterio, vix paucis dici possunt, quæ populo fideli à Parochis sunt inculcanda, vt condecenter sese præparet ad fruendum mystico hoc Angelorum cibo, quo mens omnium spiritualium Charismatum abundantia impinguatur. Hortentur ergo  
ante

ante omnia, plebem Parochi, vt præuia diligenti discussione propriæ conscientiæ, per integram, & fructuosam penitentiam, cum timore, & tremore accedant ad tanti Regis mensam.

Doceant item maximè fidelibus expedire, frequenter cœlesti hoc dono frui, præsertim in maioribus festiuitatibus.

*Fideles frequentet sanctam communionem.*

Quadragesimali verò tempore, diebus Dominicis, & ante hebdomadam sanctam, sæpius omnes moneant utriusque sexus fideles, in legitima ætate constitutos, ut sese præparent per Sacramentalem confessionem, ad sumendum tempore Paschali Sacram Eucharistiæ. Quòd si quis sanctæ matris Ecclesiæ præcepto in hoc non paruerit, semel, aut iterum infra octauam Paschæ admonetur: si ne tum quidem euigilauerit, Parochus, uel Curatus eius nomen ad Nos, uel Vicarium nostrum generalem quamprimùm deferat.

In illis Ecclesijs, in quibus animarum cura exercetur, tam in Ciuitate, quàm extra per Diocesim, asseruetur Eucharistia in uase argenteo intrinsecus deaurato, super Altari maiore, in Tabernaculo, quoad fieri potest, ornatissimo; Lampasq; coram eo perpetuò luceat; & quum ad ægrotos deferretur Sacramentum hoc, euocetur populus campanæ sono, & præsertim societates, si quæ sunt: Sacerdos deuotè, & reuerenter psallendo illud deferat, Cotta, Stola, & Pluuiali indutus: adsint item cerei & umbella. Pluuiale tamen, & umbella alicubi per Diocesim, ex causa omitti possunt.

*Eucharistia pro infirmis*

Processio quæ singulis annis in festiuitate corporis Christi fit, celebretur deuotè, & reuerenter: adsit per uias, & congruis locis ornatus, quàm fieri potest decentissimus. Nil exponatur, agatur, uel representetur, quod risum, seu irreuerentiam moueat, aut profanam sapiat uanitatem; nec tormenta, aut bombardæ in ipsa processione displodantur.

*Processio Corporis Christi.*

*Alibi hoc permittitur ino. fib.*



DE SACRIFICIO MISSÆ.

Cap. 14.

**Q**uoniam verò his tēporibus exulceratissimis hostes Ecclesię nihil acrius impugnant, quam sacrificium Missę; Parochi, & alij curam animarum gerentes diligenter meditentur, quę de Sanctissimo hoc sacrificio Occumenicum Triden. Conc. statuit, quidq; doceri de eodem profutlet: circa quod etiam Catechismum Romanum consulant, fideles populos crebrò admonendo, ut tremenda hęc mysteria pię uenerentur, illorum vim, fructumq; ineffabilem, quantum quidem fieri potest, & intelligere studeant, & ardenti animi desiderio ad illum anhelent.

Tum verò diligenter attendatur Decretum de obseruandis, & euitandis in celebratione Missę sess. 22. quibus adiungenda est diligens lectio, & cognitio Rubricę ipsius Missalis reformatę.

Sacerdos celebraturus, si conscius sibi fuerit peccati mortalis, Sacramentaliter confiteatur, iuxta Decretum Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. incip. si non decet.

*Sacerdos frequenter confiteatur.*

Nouerint etiam Sacerdotes maximè decere, ut qui frequentius, uel ex deuotione, uel officio celebrant, singulis hebdomadibus sacramentaliter confiteantur.

*Festis dieb. Ecclesia propria non deseratur sine Missa.*

Nullus Sacerdos, ut aliam Ecclesiam honoret, propriam deserat sine sacrificio Missę diebus Dominicis, aut alijs festiuitatibus, quibus ex præcepto Ecclesię populus Missę sacrificio interesse debet, nisi Ecclesia, quam honorare intendit, sit vicina, & ad illam populus suę Ecclesię tunc confluere soleat.

*Missæ Nonnulla.*

Nullus Sacerdos secularis audeat primam Missam celebrare sine nostro, aut Vicarij nostri consensu; quo obtento, iuxta Decretum de obseru. & euit. in celebrat. Miss. omnino abstineat ab omni illiberali eleemosynarum exactiōe; quę cum à fordido quęstu non absit, pari modo fugienda est in omni celebratione Missarum.

Musici,

*Contra uis tenear.*

Musici & Organistæ à cantu lasciuo, à profanis carminibus ad choreas accommodatis, in Ecclesia abstineant.

Statuimus præterea, & ordinamus, vt Missas debitas quilibet Sacerdos, aut Beneficiatus per se, uel per alium idoneum, perfoluat suis Altaribus, & Capellis iuxta eorum fundationes.

*Missæ debite celebræ de.*

Idemq; in Ecclesijs, vbi diebus Dominicis, & alijs solennitatibus Missæ Sacrum, & Vesperæ decantari solent, in posterum diligenter seruetur.

Volumus etiam, ut iuxta Trid. Conc. Decretum, fidelium viouorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliq; pietatis opera, quæ pro defunctis fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ institutum piè, & deuotè fiant, ipsiq; Rectors, Parochi, & Beneficiati fideliter, & diligenter iuxta testatorum fundationes, ea præstent, & perfoluant.

*Sess. 25. decret. de pur. ad finem. Missæ pro defunctis.*

Præterea populus moneatur, ut diebus saltem Dominicis, & maioribus festis, ad proprias parochias accedat ad audiendum verbum Dei. Ipsi autem Parochi, & Curati infra Missarum solennia ex ijs, quæ in Missa leguntur aliquid exponant, atque inter cætera, ipsius Missæ mysterium ali-quod declarent.

*Populus ad proprias parochias accedat.*

Damnanda verò est illorum irreuerentia, qui Dominicis, alijsq; festis diebus, quibus ex sanctæ matris Ecclesiæ præcepto in suis Ecclesijs Missam integram audire cū teneantur, nihilominus temerè de templo ante Missam finitam, & Sacerdotis benedictionem recedunt; & pariter illorum, qui dum Missa celebratur, & diuinum verbum prædicatur, fabulis, & nugis in cœmeterio tempus extrahunt, plerunq; secularia tractantes, malo fidelium exemplo, & contra sacrorum Canonum sanctiones. Cui malo Nos opportunè prouidere cupientes, statuimus, ut Parochi, & Curati omnes aliquando per annum in Ecclesijs publicè Canonem antiquum. capit. Missas, distinct. 1. de consecrat. Curus

*Ante missam finitam non recedendum*

*Missæ, & prædicationis tempore, non est in cœmeterio trican-dum.*

Canon pu-  
blican.

tenore est. Missas die Dominica secularibus totas audire,  
speciali ordine precipimus, ita ut ante benedictionem Sa-  
cerdotis egredi populus non præsumat: quod si fecerint; ab  
Episcopo publicè confundantur.

Nota.

Qui igitur admoniti in prædictis contrafecerint, subiaceant,  
præfatorum canonum pœnis, atq; insuper mulctam incur-  
rant librarum duarum per Syndicos exigendarum, & paro-  
chiali Ecclesiæ, vel alij pio vsui ad arbitrium Parochi appli-  
candarum: quibus etiam pro ipso labore exigendi dentur  
quaterni cruciferi ex huiusmodi mulcta.

Insuetæ ar-  
ma in Eccle-  
siis non fe-  
renda.

Moneant Parochi, & Rectores, ingredientes Ecclesias, ut om-  
nino bombardas, hastas, & alia armâ insuetâ deponant;  
qui si non obedierint, tanquam contumaces Nobis, uel Vi-  
cario nostro deferantur.

Si verò scandala, uel pericula ab huiusmodi cōtumacibus ve-  
rissimiliter oritura timeantur, Sacerdotes etiam à celebran-  
do abstineant.

## DE ARA PORTATILI.

Cap. 15.

**I**Nsuper omnibus & singulis Sacerdotibus sub pœna excom-  
municationis, & Marcharum quinque prohibemus, ne in  
nostra Diocesi super Ara portatili, ad requisitionem cuius  
quam celebrare præsumant, sine speciali nostra licentia, in  
scriptis habita; & non nisi in dedicato ad hoc oratorio à  
Nobis, uel Vicario nostro, visitando.

In visitationibus etiam Altaria portatilia perquirantur: & quæ  
non ampla, & commoda reperta fuerint, tollantur.

De cætero uerò lapis consecrâdus pro Altari portatili sit lon-  
gitudinis vnus saltem palmi cum dimidio, & latitudinis  
vnus palmi, ita ut commodè calicem cum hostia capiat.

DE

DE ALTARIVM ORNATV, <sup>15</sup>

Imaginibus, & cultu reliquiarum  
Sanctorum. Cap. 16.

**A**lteria decenti ornatu, quantum fieri potest, exulta,  
& nitida sint, & ante omnia salutiferę Crucis signo cõ-  
decorata, ac pari studio Ecclesię ipsę, sicut decet domum  
Dei, ab omni situ, & squalore uindicerentur, puręque, ac  
mundę conferuentur.

Si quę fuerint in Ecclesijs imagines uetustate, aut aliã inde-  
corę, & offensionem præbẽtes, eę debito modo tollantur. *Imagines in-  
decorę.*

Ne uerò in cultu reliquiarum Sanctorum, quę in aliquibus  
diocesis nostrę Ecclesijs reconditę reperiuntur, abusus vl-  
lus oriatur, uel minus decenter custodiantur: mandamus  
illas per Sacerdotes, quorum curę sub inuentario authen-  
tico, committantur, diligenter & honorificè in loco sacro,  
& sub diligenti clauium custodia in capsulis, uel pyxidibus,  
ne à manu laica contrectentur, conseruari, & non nisi om-  
ni cum reuerentia ostēdi; in uisitationibus uerò ordinarijs,  
eas diligenter recenferi uolumus. *Cap. 2. de re-  
liq. & vener.  
Sanct. c. cor-  
pora, de con-  
secr. dist. 1.  
Reliquię SS.  
in uisitationi-  
bus recenferen-  
dę.*

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Cap. 17.

**C**um Sacramento pœnitentię, lapsis post baptismum, be-  
neficiũ mortis Christi applicetur, alia tamen ratione,  
quàm in baptismo: Parochi, & alij curam animarum exer-  
centes, sæpius per annum, præcipuè uerò tempore Quadra-  
gesimę diligenter populo explicabunt saluberrimi huius,  
& maximè necessarij Sacramenti uirtutem, & efficaciam.

In primis uerò docebũt, quid ab illis, qui à suscepta semel gra-  
tia excidẽtes, peccatorum sordibus Spiritum sanctum con-  
tristauerunt, requiratur. Quod ut efficacius præstare possint  
Parochi, habeant in promptu sacri Conc. Trid. De Sacra-

*Parochi sæ-  
pe de confes-  
sione tractent*

mēto pēnitentiæ, & iustificatione impij doctrinā, meditentur etiam diligēter, quæ in Catechismo ad Parochos de his traduntur. Quibus omnibus adhibeant probatiores summas, illos auctores, qui dilucidè, piè, & eruditè de Sacramento pēnitentiæ, eiusq; partibus tractant: illud præcipuè intendentes, vt cum timore, & tremore discant fideles recogitare dies suos in amaritudine animæ suæ; quo excitati Dei miserantis auxilio, per veram contritionem, integram confessionem (qua distinctè, & sigillatim peccata sua enumerent, & in specie recenseant) & operis satisfactionē, possint peruenire ad eam gratiam, quæ ex Dei institutione, sancto hoc sacramento administratur.

*Cap. de pēnitentiæ. & rem. publican.*

*Casus reseruarii.*

*Confitēdi alteri à parochō licentia quomodo cōcedenda.*

*à proprio parochō nō absoluitur quando nec ab alio sacerdote sit absoluitur.*

Quapropter primis statim diebus Quadragesimæ publicabūt capitulum: Omnis vtriusque sexus, & c. populūq; monebunt, vt tempestiuè se præparet ad confessionem.

Habeant casus Episcopo reseruatos: item Bullam in Coena Domini, vt si qui eos adeunt, huiusmodi casibus irretiti, sciant eos cum caritate, & opportunis monitionibus, consilio etiam, & auxilio, ad illos dirigere, qui facultatem habent tales absoluedi; in quo magna circumspectiōe curabunt, ne alijs innotescat, tales reseruatis casibus esse illaqueatos.

Si qui rationabili causa petunt à proprijs Parochis licentiam alteri sacerdoti confitendi, ea non grauātè concedatur: ita tamen vt probato sacerdoti confiteantur, ab eoque fidem habeant in scriptis de confessione facta.

Et quia nonnunquam contingit, aliquos à proprio Parochō absolutionem Sacramentalem non obtinere, si causæ negatæ absolutionis sunt manifestæ, putà contractuum damnatorum, uel concubinatus, vel quæuis alia Canonica; tūc nullus alius sacerdos secularis, aut regularis tales absoluat, ne sub prætextu quidem Iubilei, quantumuis ampli: cū nullæ facultates illis suffragentur, qui absque debita satisfactione prætendunt informi confessione effugere pœnas cap.

cap. omnis utriusque sexus.

Et quia difficillimum est delicta intelligere; & pœnitentium animos, tot, & tam diuersis peccatorum inuolucris implicitos fructuosè tractare, confessarij ad audiendas confessiones approbati, diligenter, & attentè considerabunt casus difficiliore, vt sunt qui ab vsurarijs, & alijs illicitis, & iniustus contractibus, item à materia restitutionum, censurarũ Ecclesiasticarum, & similibus pendent: quos si de sua peritia, & scientia diffidentes, euoluere non poterunt, alios peritiores & magis expertos consulant.

*In casib. difficilio-  
ribus  
peritiores cõ-  
sulendi.*

Quapropter iniungimus etiam Decanis foraneis, ut aliquando per annum sacerdotes congregent, & si quid obscurum, aut difficile occurret circa casus conscientie, inter se conferant, & si necessarium videbitur, ad Nos, vel Vicarium nostrum generalem referant.

*Decani aliquando sacer-  
dotes congre-  
gent.*

Et quia Sacerdotes vice Dei Saluatoris nostri, hoc fori conscientie iudicium exercent; meminerint sibi ineuitabilem impositam esse necessitatem, vt vitæ, & morum integritate, muneri tam sublimi respõdeant: proinde in primis Dei auxilio sese exhibeant, vt ministros Christi, in patientia, & charitate.

*Fori cõscien-  
tia iudicium  
Diuinum.*

In audiendis confessionibus eam adhibeant grauitatem, quæ Diuinum hoc Tribunal decet.

Non nisi in Ecclesia confessiones audiant, exceptis casibus necessitatis. Sint induti Cotta, & Stola, sedentesq; audiant confitentes.

*Confessiones  
in Ecclesia  
audienda.*

Mulieres tantummodo clara luce (nisi grauis causa excuset) audiant, idq; in loco patente, & in sedibus confessionalibus ad hoc deputatis.

*Mulieres  
quõ audiendæ*

Et quia experientia docet, multos salubriùs confiteri, si animi eorum appositè, & cum caritate tractentur: ideo secundum necessitatem locorum, temporum, & personarum confessarij aduertant ad ea peccata, quibus confitentes magis obnoxios conspiciunt, ac quanta possunt diligentia, pru-

dentia, & charitate, nunc mansuetudine, & commiseratione; nunc etiam ( si id necessitas postulabit ) saluari cum rigore, quærant animarum lucrum, & pœnitentium salutem. Proinde curabunt, vt ipsi pœnitentes sinceram eorum erga se charitatem agnoscentes, vulnera animarum, & angustias conscientiarum liberiùs, & fideliùs detegant.

Et quia non desunt, qui arbitrentur se satisfacere præcepto, & necessitati Sacramentalis confessionis, per quamdam generalem confessionem; Parochi & concionatores, vbi id maxime necessitas postulat, monebunt tales de integræ confessionis partibus, tum præcipuè de ipsa peccatorum, & circumstantiarum eorundem necessaria enumeratione: ac propterea Parochi non admittant pœnitentes cateruatim; videantq; ut tanta distantia à confitente ceteri absint, vt quæ dicuntur tam à pœnitente, quàm a Sacerdote, à circumstantibus audiri non possint. Et populum suum moneant, vt tempestiuè ad confitendum accedant, nec ad vltimos Quadragesimæ dies differant.

Non raro etiam contingit, vt aduersa valetudine laborantes, maiorem curam gerant corporis, atque externorum bonorum, quàm ipsius animæ. Vt igitur eorundem imbecillitati consulatur, seriò monendos esse duximus medicinarum professores, ut cum primum ad ægrotos uocati fuerint, omni studio eos inducere nitantur, ne animæ minus quàm corporis salutem quærant: quod futurum est peccatorum sincera confessione, & Eucharistiæ sumptione: Nam & hæc ad sanitatem corporalem recuperandam, via est valde expedita. Quod quidè si infirmi facere negligant; Nos inhærentes constitutioni scilicet. rec. Pij V. quæ incipit; Supra gregem Dominicū, &c. omnibus, & singulis Medicis nostræ Diocesis mandamus, vt post secundum diem, ( nisi confesarius ægroti ex rationabili causa, longius ad confitendum spatium concesserit ) infirmum amplius non visitet, donec peccata sua sit cōfessus, & sacram Eucharistiam sumperit.

Alio.

*Pœnitentes  
nō caterua-  
tim admi-  
tendi.*

*Confitendū  
tempestiuè.*

*Medici cor-  
porales diri-  
gāt ægrotos  
ad medicos  
spirituales.*

*Nulla pij V.*

Alioquin pœnas in supradicta Bulla contentas, ipso facto, Medici ipsi incurrant.

Vetamus autem sub interminatione Diuini Iudicij, ne vllus Sacerdos tam regularis, quàm secularis, terminos parochiarum, qui à maioribus nostris, aut à Nobis sunt constituti, transgredi (sola necessitatis causa excepta) & alienæ curæ subiectos, ad confessionem admittere, aut alia Sacramenta administrare præsumat, nisi desuper proprij Parochi petita licentia.

*Parochiarū termini non transgrediendi.*

*Conc. Trid. sess. 14. ca. 7.*

## DE EXAMINE EORVM QVI AD audiendas confessiones deputantur.

Cap. 18.

**C**oncilium Trid. sess. 23. cap. 15. prohibet, ne vllus Sacerdos etiam regularis possit Secularium, ne Sacerdotum quidem confessionem, audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochialem Ecclesiam regat, aut ab Episcopo per examen (si illi videbitur esse necessarium) aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis danda est, obtinuerit. Extat præterea constitutio Pij Quinti anno M D LXXI. edita, quæ incipit: Romani Pontificis prouidentia &c. qua declarat loco citato Concilij, comprehendere etiam Regulares mendicantes, & consequenter iubet, omnes hoc Episcoporum examen subire.

*Pij V. cōstitutio.*

Quo circa Nos etiam grauibz scandalis, quæ ex illorum aut ignorantia, aut negligentia oriuntur, qui sese audiendis confessionibus ingerunt, occurrere volentes: Statuimus, & vetamus, sub pœna excommunicationis, ne vllus Sacerdos tam secularis, quàm regularis beneficium curatum non obtinens, audiendis confessionibus sese immisceat, nisi prius à Nobis, vel Vicario nostro fuerit approbatus.

*sacerdos nullus nisi ab ordinario approbatus, cōfessiones audiatur.*

Et vt fructuosè hæc audiendarum confessionum facultas ijs tantum impertiatur, qui possint debito modo animarum

lan quoribus, salutaris pœnitentiæ medicamentis succur-  
rere; admonemus omnes ad audiendas confessiones ap-  
probatos, nec non illos qui ad hoc munus destinantur, aut  
adspirant, vt diligenter Catechismum Romanum, & pro-  
batas summas perlegant, multiplices conscientiæ calus at-  
tentè considerent, selesq; ita, Domino iuuante, præparèt,  
ac disponant, vt possint cum spiritali animarū lucro, hoc  
Dei Tribunal exercere.

*Ad confes-  
siones audiē-  
das admit-  
tēdi de quib.  
sunt interro-  
gandi.*

Volumus etiam, ut qui audiendarum confessionum facultatem requirunt (nisi sint eius doctrinæ, & experientia, vt examini subijciendi non videantur) diligenter interrogentur de forma absolutionis; de peccatorum differentijs, & circumstantijs; de excōmunicationibus, irregularitatibus, de calibus referuatis, de satisfactionibus, pœnitentijs, & alijs, quæ necessariò hoc conscientia iudicium exercētes, scire debent.

Quòd si ex responsionibus apparuerit, aliquem Catechismū Romanum uel non legisse, uel nō percepisse, nec studium adhibuisse, vt ex lectione, & meditatione probatarū Summarum, aliorumq; piorum tractatum potuerit instrui, ad hoc munus non indignè tractandū; is omni respectu postposito, repellatur; neque prius admittatur, quàm constiterit eum tantum profecisse, quantum muneris huius rectè exequendi ratio postulat.

## DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis. Cap. 19.

*Infirmi tem-  
pestiuè inun-  
gendi.*

**P**arochi congruo tempore fidelibus huius Sacramenti virtutem, & efficaciam explicabunt, illosq; monebunt, vt procurent, illud infirmis in tēpore adhiberi, quò percipientes quæ circa ipsos hoc extremo pietatis officio aguntur, intelligant se huius Sacramenti gratia munitos, ex hac mortali uita expeditiorem uiam ad cœlum habere.

Ipsos

Ipsos infirmos uerbis placidis, & pijs erigent in spem exuberantis misericordiae Dei; illos exhortantes, ut hoc Sacramentum ea deuotione suscipiant, ut & corporis, & animae salutem benignissimae Dei uoluntati resignent. Hæc autem & alia his accommodata Parochis abundè suppeditabit diligens lectio Catechismi Romani.

Quòd si regularis ad alicuius infirmi confessionem audiendâ uocatus fuerit, is si periculum mortis infirmi imminere cognouerit, moneat astâtes, ut tempestiuè Parochum de languentis periculo certificent. Si uerò probabiliter possit præsumere, ipsos id in tempore forsitan non facturos, ipsemet Parochum adeat, ne ex ignoratione periculi, contingat infirmum absque extremæ unctionis solatio decedere.

Atque ut hoc Sacramentum in debita reuerentia habeatur, statuimus, ut sacrum oleum in tuto, & honesto loco, & uasculo argenteo, uel stanneo mundo, & decenti ab alijs Sacerorum oleorum uasculis distincto, honorificè seruetur, & qua decet reuerentia deferatur.

In cæteris ad Ritualis nostri præscriptum, & caremonias Ministri recurrant.

*Regulares  
confessarij  
agrotantiũ,  
Parochos &  
languentis pe-  
riculo certi-  
ficent.*

*Oleum infir-  
morũ decen-  
ter aseruan-  
dum, & dese-  
rendum.*

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

### Cap. 20.

**P**rochi, & alij omnes quibus uerbi Dei populo annuncianti cura commissa est, doceant iuxta sacri Conc. Trid. præceptum, Iesum Christum salutis nostræ auctorem, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ uisibile reliquit sacrificium, sic etiam uisibile instituisse sacerdotium.

Ac propterea populum diligenter monebunt, ut spiritualementiam hanc potestatem non hominum meritis, aut conditione metiantur, sed potius in ipsis Ministris, Dei ministerium uenerantes, omnibus tam Sacerdotibus, quàm ijs, qui in alijs ordinibus Ecclesiæ ( quibus quasi gradibus ad

*sess. 23. c. 1.*

*Parochis reuerentia, & obedientia exhibenda.*

*Conc. Trid. sess. 24. ca. 7. de cas. refer.*

*Ep̄o suo populus gr̄am debent uenerentia, & obedientiā.*

Sacerdotium ascenditur) constituti sunt, debitam reuerentiam exhibeant. Et quia non omnes Sacerdotes pari sunt potestate, ratione iurisdictionis tam fori interioris, quam exterioris; Ideo moneantur populi, ut suis proprijs Parochis, quibus cura salutis animarum ipsorum est commissa, non solum reuerentiam, sed & obedientiam exhibeant, ipsorumq; monita libenter suscipiant. Quod multò item magis locum habet in consideratione Episcopalis dignitatis, cui ultra proprias functiones Pontificales, ratione plenarie potestatis iurisdictionis in utroq; foro; competit alios grauiores casus, prout regiminis ratio exigit, reseruare, aliq; ordinare, & statuere, ad quæ fideles omnes Diocesani obligantur, & in quibus inferiores Sacerdotes, etiam curati sese ingerere non possunt: Vnde monendi sunt populi, ut Episcopi sui Constitutiones, ordinationes, reseruaciones, edicta, interdicta, & excommunicationes uenerentur, sollicitèq; ad illum recurrant in ijs, quæ ipsius auctoritati reseruata cognouerint.

Quod item longè magis in his est obseruandum, quæ Sùmo Pontifici Romano nouerint reseruata.

In summa docebunt in Dei Ecclesia (quæ est ut castrorum acies ordinata) diuina institutione differentibus functionibus, & potestatibus, sub vno in terris Christi Vicario, omnia esse ordinatè disposita, in opus ministerij, ad consummationem sanctorum.

*Pro ordinandis orandum à populo.*

Præcipimus autem Parochis, ut quotiescunque intelligent ordinationes esse habendas (quod per edictum illis innotescet) id populo, ubi aliqui fuerint ordinandi, annuncient, atq; hortentur, ut Deum orent, quò in tanti ministerij partem ij tantum assumantur, qui & vitæ exemplo, & doctrina salutare populo præluere possint.

*De ordinandis edictum promulgandum.*

Edictum in quo ordinandorū nomina continebuntur, ita promulgabunt, ut de Sacramenti dignitate, & utilitate aliqua præmittant: moneant etiam omnes, ut si quid habent aduersus

uerfus aliquem ex ordinandis, ob quod tanquam indignus repelli possit, aut aliàs nouerint aliquo impedimento irritum, id secretò, omni odio, ac passioe sepositis, ipsi Parocho denuncient: quòd si causa subsit, cur Parocho id fortè aperire nolint, Vicario nostro generali, vel Decano Rurali significant.

*Indigni promoueri quibus denunciandi*

Parochi autem ipsi sub diuini iudicij interminatione, si quid intellexerint, aut nouerint de promouendis, quo indigni possint iudicari, id tempestiuè denuncient, omni personarum postposito respectu.

*Parochi tempestiuè denunciet indignos promoueri.*

Obseruent etiam suæ Parochiæ pueros, & alios, qui ad Clericalem statum, & ordinem aspirant; illosq; ex caritate salutaribus monitis dirigant, & quantum possunt iuuent, ac parentes moneant, ut si filios suos cupiunt Clericali statu; adscribi, eorum exactiorem tam in literarum, quàm morum disciplina curam habeant.

*Pueris, alijs que ad clericatū aspirantibus faciendū.*

## DE OBSERVANDIS

in collatione ordinum. Cap. 21.

**C**um disciplina Ecclesiastica nulla re magis labefactetur, quàm cum indigni promouentur ad clericalem statum, & doctor gentiū moneat, manus nemini citò imponendas esse; Nos, ut ea adhibeatur diligentia in ordinum collatione, quam rei ipsius grauitas postulat, monemus omnes, & quoscuque Diocesis nostræ Clericos in minoribus ordinibus constitutos, qui ad maiores aspirant, ut iuxta sacri Conc. Trid. determinationem sess. 23. cap. 5. sese per memem ante ordinationem, Nobis, aut Vicario nostro, necnò Archidiacono presentent; quò Parocho, aut cui magis expedire uidebitur, possit committi inquisitio de natalibus, etate, moribus, & uita; neque ullus presentetur, aut admittatur ad ordinationem, qui litteras testimoniales, inquisitionem, iuxta nostram, uel Vicarij nostri commissionem factam

*Qui ad maiores Ordines aspirant per memem ante ordinationē se presentent.*

*Inquisitio diligenter facta Ordinatio mittenda.*

factam continentes, non exhibuerit, ad quod Archidiaconus pro muneris sui ratione, diligenter aduertat.

Parochi (si inquisitione diligenter facta, nullus quicquam opponet) inquisitionem ipsam obsignatam Nobis, vel Vicario fideliter mittant, vel ipsi Ordinandi deferant.

Præsentatis autem omnibus, qui ordinari intendunt, præfigetur certus dies, quo ad examinationem faciendam tempestiuè compareant.

Curet autem Archidiaconus, vt in ipsa examinatione, ea omnia diligenter obseruentur, quæ sacræ Conc. Triden. statuit sess. 23. cap. 11. 12. 13. & 14.

*Ordinandi in sacris magna cautioe examinantur.*

Et quia in Ecclesiæ ministrorum ordinatione, nihil aliud attendi debet, quàm ipsius Ecclesiæ utilitas, ante collationem ordinum magna est adhibenda cautio in examine, maximè eorum, qui ad Sacros ordines afflumuntur; an videlicet illa intelligant, & sciant, quæ ad ordinem illum exercendum requiruntur. Et in primis an Breuiarij, & Missalis ipsius rubricas reformatas norint, & quæ vltèrius hac de re cæremoniale continet, & docet.

## DE SACRAMENTO

### Matrimonij. Cap. 22.

*Sess. 24 c. 1. de ref. matr.*

Parochi opportunis occasiõibus de Sacramento Matrimonij ea docebunt iuxta sacri Conc. Trid. Decreta, quæ fideles scire tenentur. Vtque Sacramentum hoc in nostra hac Diocesi in debita ueneratione habeatur, præcipimus Parochis, ut quoties necessarium duxerint, Decretum ipsius Conc. de Matrim. sess. 24. c. 1. publicent, & explicant: Tum uerò exeunte interdicti tempore, uidelicet, Dominica præcedenti Epiphaniam Domini, & secundo, uel tertio festo Paschatis populum diligenter moneant, ut accuratè obseruent, quæ de Sacro Matrimonij sunt constituta, & vt sancti huius Sacri dignitas postulat, cum omni honestate,

*Decretum publican.*

in

in timore Domini m̄iimonia ritè, & legitimè contrahant. Non solum à clâdestinis, & inualidis matrimonijs, sed etiam à clancularijs, & furtiuis promissionibus, & pactis de contrahendo abstineant.

*Clandestinis promissionibus abstineandum.*

Quòd si Parochi fama, aut alijs argumentis cognouerint, istis vijs rudem, & simplicem iuuentem circumueniri, parentes, & eos in quorum potestate sunt, admoneant vt cautè periclitantium pudori, & famæ consulant.

Vt verò hac in re audacia quorundam debitè coerceatur: si qui occultis, & dolosis promissionibus suæ cupiditati viam aperire tentauerint, & a Parochis moniti, eas promissiones legitimis solennitatibus matrimonio ritè contracto stabilire detrectauerint; hos Nobis, vel Vicario nostro Parochi ipsi denuncient, ad hoc vt contra ipsos tanquam pudoris, & honestatis circumuentores, & qui impiè, & impudenter venerando matrimonij nomine abutuntur (reseruata parti actione) iuxta canonum dispositionem, pœnis tam pecuniarijs, quàm etiam carceris, & banni, pro ut rei, & personarum, qualitas postulabit, procedatur.

*Qui post occultas promissiones matrimonio stabilire detrectauerint, de denunciandi.*

Denunciationes super contrahendo matrimonio non fiant, nisi prius certus sit Parochus de consensu contrahentium.

*De consensu constet ante denunciat.*

Si contrahentes fuerint diuersarum parochiarum, non denunciatur ad ipsum Matrimonium, nisi Parochus vbi solennizandum erit, certior sit factus ab alio Parocho de publicationibus etiam ab illo iam factis, & quòd nullum sciatur legitimum impedimentum.

*Contrahentes diuersarum parochiarum.*

Interdicti tempore nullus Parochus matrimonium absq; speciali nostra, uel Vicarij nostri licentia, sub pœna uiginti florenorum, ad opus pium arbitrio nostro applicandorum, audeat solennizare.

*Interdicti tē pū seruādū.*

Qui aliquod sciuerint impedimentum legitimum, illud Parocho tempestiuè denuncient, sub pœna mortalis peccati, alijsq; pro personarum, & facti qualitate, nostro arbitrio, uel Vicarij nostri infligendis.

*Impedimentum scientes denunciant.*

Impe-

*Non contra  
bendū spe di  
spensationis  
obtinenda.* Impedimentum inter se extare scientes, nullo modo sub spe dispensationis obtinendæ, contrahant, sed prius dispensationem obtinere curent.

*Contrahentium  
pena, si  
sciunt impedi  
mentum.*

Si scientes impedimentum, de facto contraxerint, pœnam decem; quòd si etiam ausi fuerint consummare, viginti florenorum ad opus pium nostro arbitrio applicandam incurrant, vltra alias pœnas, & pœnitentias iuxta scandali, & personarum qualitatem infligendas.

Si Sacerdos sciens impedimentum, solennizare matrimoniū ausus fuerit, præter pœnam suspensionis à sacris Canonibus constitutam, mulctam quinquaginta florenorum, nostro arbitrio applicandam, incurrat.

*Sponsalia ob  
bligant ad  
matrimonium  
cessante impedi  
mento.*

In sponsalibus Parochi moneant contrahentes, mulieres præfertim, per ipsa verba de futuro, non contrahi tunc matrimonium; sed obligari tantum ipsas partes ad contrahendum, (si nullum extiterit impedimentum) forma Conc. Trident. seruata; vbi Parochi quando interueniunt sponsaliorum contractui, diligenter caueant, ne verba adhibeant, quibus per consensum contrahentium, ipsum matrimoniū contrahitur.

*Sponsi non  
cohabitent,  
ante matri  
monium.*

Serio etiam ac frequenter Parochi inculcabunt, ut qui tantum per verba de futuro contraxerunt, quatenus salutem animæ suæ caram habeant, in eadem domo minimè cohabitent, atque à copula carnali, donec matrimonium legitime contractum sit, omnino abstineant.

*Cōdicandum  
ante matri  
monium.*

Parochi sedulam operam præstent, ut sponsi antequam contrahant, uel saltem triduo ante matrimonij consummationem, confiteantur, & sanctam Communionem accipiant, iuxta piam Conc. Trid. exhortationem.

*Matrimonij  
reuerentia  
seruanda.*

Prohibeatur per Parochos damnabilis ille abusus, quo vulgus alicubi in nuptijs ad secunda uora transeuntium, uel aliàs polygamorum, tintinnabulis, & id genus alijs rebus importunè perstreperè consuevit ad domum ipsorum sponforum, contra sancti huius Sacramenti dignitatem. Et in  
sum-

*Quoniam vultus imperator tenetur ad hunc inuicem,  
hoc comitatus dicitur. farinae de Gar: et dicitur.  
Crim. 1. 9. 10. 2. 96. in super. 2. 9.  
Vid. et omni scriptis vult: in ma. glia. opus:  
2. 9. 2. 96. —*

summa ea omnia Parochi prohibeant, quæ in contrahendis matrimonijs Sacramenti reuerentiam uidentur imminuere, nihilq; in Ecclesijs præsertim, fieri permittat, quod indecentiam, aut petulantiam præferat.

Parochus in celebrando matrimonio, si tempus id patitur, breui sermone aliquo, ipsius Sacramenti sanctitatem commendet: de bonis matrimonij, fide, prole, & Sacramento, iuxta id quod abundè Catechismus Romanus suppeditabit, sermone instituto.

Præterea prædecessorum nostrorum constitutionibus inherentes, etiam sub excommunicationis pœna interdiciamus omnibus tam Clericis, quàm laicis per Dioecesim nostrâ ubilibet cõstitutis, ne ullus eorum de causis matrimonialibus cognoscere, cõcordare, seu diffinire iudicialiter præsumat, absque nostra licentia, & mandato speciali.

Contra coniugatos utriusque sexus, qui nulla legitima causa, sed propria temeritate, sibi mutuo cohabitare nolunt (etiã si à fornicatione aliàs abstineãt) nisi infra terminum à Parocho præscriptum, ad cohabitationem redierint, arbitrarijs pœnis procedi volumus. Quibus etiam obnoxios esse declaramus, qui eos fouere in domibus suis ausi fuerint.

Parochi denique sæpius per opportunitatem moneant fideles in statu matrimoniali degentes, ut maritali castitate, & caritate honorabile suum coniugium comprobent. In primis verò diligenter eos monebunt, ut filios in timore Domini ita instituant, ut videantur intelligere, illos ad matrimonij sui bonum tum demum pertinere, si per rectam educationem Christianæ pietati, & religioni inserantur.

## DE FESTIS ET DIEBUS

Ieiuniorum. Cap. 23.

**P**Ræter festa quæ ex præcepto Ecclesiæ celebranda sunt, & in quorum uigilijs (legitimo impedimento cessante) ieiui-

*Leobardus promissio facta à Carolo quinto in Decretis Synodicalibus anno 1545. in similibus ciambellarijs apud Vini: in sua Synodo p. 28. 29.*

*Matrimoniales causas Ordinario re seruatæ.*

*Cõiugati cohabitent, cessante impedimento.*

*Maritalis castitas.*

*Filij in Dei timore educandi.*

ieiunandum est, à cibis ex vsu Ecclesiæ Catholicæ vetitis, abstinendo, ac semel tantum in die, circa meridiem, cibum fumendo, in Episcopatu nostro Tridenti, solenniter ab omnibus celebrandum est festum Diui Vigilij Episcopi, & Martyris gloriosi, patroni ipsius Ciuitatis, ac totius Diocesis.

*Bulla ppi V.  
qua incipit,  
Cum primū  
Apostola-  
tus.  
Festorū vio-  
latores pu-  
niendi.*

Qui verò in diebus præfatis ex præcepto Ecclesiæ celebrâdis, necnon sancti Vigilij, opus seruire, sine vrgente necessitate fecisse, deprehensus fuerit, præter Diuinam vltionem, & amissionem animalium, ac instrumentorum, quibus usus fuerit, Ecclesiæ locorum, vel aliàs arbitrio nostro, uel Vicarij nostri applicandorum, pœnam etiam duorum florenorum incurrat; quorum quarta cedat denuncianti, reliquæ verò tres partes fabricæ Ecclesiæ loci applicentur. Ad quâ multam exigendam teneantur Syndici, seu Massarij Ecclesiarum, quibus fuerit applicata: habeantque exactores pro suo labore, quaternos cruciferos; & summarie, ac de plano, sine figura iudicij in his procedatur.

Si qua verò inciderit vrgens necessitas operis alicuius faciendi, Parochi, alijq; Curati, habita ratione loci, rei, temporis, & personarum, poterunt ( dummodo id cautè, & citra scandalum fiat ) dispensare; in quo ipsorum conscientiam oneramus.

Festa autem Sanctorum Sisiniij, Martyrij, & Alexandri Martyrum: Item Sanctæ Maxentiæ matris Sancti Vigilij, Sancti Romedij confessoris, & Sancti Simonis Innocētis martyris, eiusdem Triden. Ciuitatis, & Diocesis Aduocatorum, in Ecclesiarum dedicationibus, & iuxta piam cuiusque loci consuetudinem, obseruanda sunt; quemadmodum festa Sancti Martini, Catharinæ, Antonij, Mariæ Magdalænæ, Rochi, Agnetis, Gregorij, & familia.

DE ECCLESIA CATHEDRALI.

22

Cap. 24.

**C**um venerabile Cathedralis Ecclesiæ Capitulum Nobis, uti capiti, arctissime sit cōiunctum; meritoq; illius exemplo, & auctoritate fideles totius Diœcesis plurimum moueantur: Nos Decanum, & Canonicos in Domino monemus, ut ea, quæ decet eorum ordinem, grauitate, habitu, incessu, & conuersatione se uerè, Ecclesiæ senatum exhibeant, curentq; non tantum alijs præluce re obseruatione eorum, quibus Ecclesiastica dignitatis status continetur, augetur, & conseruatur, sed in illud etiam incumbant, ut inferior Clerus Cathedralis Ecclesiæ, statuta, & ordinata circa vitam, mores, honestam cohabitationem, habitum, & tonsuram, diligenter obseruet.

*Nota.*

Nos quoque quotiescunque id iustitiæ ratio postulabit, officio nostro secundum sacrorum Canonum, & Conc. Triden. dispositionem, pro debita salubriter ordinatorum obseruantia, & executione non decrimus.

Et quia assidua Canonicorum residentia cum ipsius Ecclesiæ dignitate, & decore maximè est coniuncta, ac Diuini cultus ab ea plurimum pendet: Ideo eam iuxta antiquam huius Ecclesiæ consuetudinem, & Conc. Trid. præscriptum diligenter præstabunt.

*Residentia  
iuxta Conc.  
præscriptum*

Sciant autem Concilij dispositione, Canonicos teneri ita suâ præsentiam Ecclesiæ debitis temporibus exhibere, ut quæ hebdomadatim, ex præbendarum onere incubunt, Missas, & Officia accuratè præstent. Ac proinde in ordinarijs sextarum feriarum capitulis, sæpius diligenter prouidebunt, ut proprijs functionibus, & officijs omnes tam de gremio capituli, quàm Capellani, & inferiores Sacerdotes Cathedralis Ecclesiæ satisfaciant.

Videant ut in Choro diligenter secundum Romanæ Ecclesię ritum, diuinæ laudes perfoluantur: tum ut cæremoniæ concinnè,

einnè, & cum dignitate obseruentur; & si quid temporum iniuria irrepsit, quod Rom. Ecclesiæ consuetudini nõ respondeat, id emendetur.

Circa animarum curam, quæ Cathedrali Ecclesiæ coniuncta est, aut Ecclesijs ipsi Capitulo incorporatis competit, ea obseruentur, quæ in visitationibus, iuxta sacri Conc. Trid. dispositionem diffusè præscripta fuerunt: quæque in proxima futura præscribentur; idemq; de Mansionariorum, & Capellanorum officio dicimus.

*Distributiones augenda* Et quia distributiones diebus feriatis valde sunt exiles, ordinamus, vt congruæ portionis accessione, augeantur.

In collationibus, & prouisionibus Canonicatum, ea seruentur, quæ sacrum Conc. Trid. statuit tam circa ætatem, quàm alias qualitates. Seruentur etiam diligenter particularia Summorum Pontificum indulta, huic Ecclesiæ circa Canonicorum assumptionem concessa, in quo si sese aliquæ difficultates obijcient, ad S. D. N. erit pro congruo remedio, aut dispensatione recurrendum.

*Theologus præbendatus.* Et quia grauitas Collegij Canonicorum maximè pendet ex dignitate personarum, quæ assumuntur; decori illius maximè videtur conuenire, vt in capitulo adsit Theologus præbendatus. Ideo iuxta Decretum Conc. Trid. sess. 5. c. 1. de refor. ordinamus, vt primò vacatura præbenda promotio in sacra Theologia in vniuersali Academia conferatur. Qui tamen secundum indultorum præscriptum, illius capax sit, & cui lectionis Theologicæ munus incumbat.

*Pœnitentiarius præbendatus.* Idem etiam de secundo loco vacatura præbenda, statuimus de pœnitentiario, qui qualitates habeat à sacro Conc. requisitas, quiquè præbendæ secundum indulta sit capax.

*Capituli statuta reform.* Demum quando statuta Ven. Capituli sunt maxima ex parte constata ex Synodalibus Antecessorum nostrorum Constitutionibus, Capitulum curabit, vt illa iuxta sacri Conc. Triden. dispositionem, & præfentes Constitutiones, reformentur, & amplientur, prout præsentium temporum ratio

no postulat.

Laudabilem, longævam, & præscriptam consuetudinem circa primarios fructus à nostris Prædecessoribus Episcopis Triden. confirmatam: Nos etiam confirmamus: videlicet, ut omnes Beneficiati cum cura, vel sine cura, exempti, vel non exempti, primarios fructus beneficiorum, & Ecclesiarum quarumcunque per mortem, aut permutationem, vel qualitercunque vacantium, ac toties quoties ea, uel eas vacare contigerit, in collatione, seu inuolutura eorundem beneficiorum teneantur, ac debeant, & quilibet eorum teneatur, & debeat Massarijs Ecclesiæ nostræ Cathedralis Sæcti Vigiliij, secundum eorum taxam dare, & respondere, seu super hoc cum eis concordare. Quam consuetudinem à nostris Antecessoribus acceptam, uolumus inuiolabiliter obseruari; omnibus exceptionibus iuris, & facti remotis.

*Bern. c. 23.*

*Primarij  
fructus.*

*Bern. c. 23.*

Et cum Ecclesia hæc nostra Cathedralis ita nobis sit cordi, ut eam quàm ornatissimam, & omnibus necessarijs instructissimam esse desideremus; hortamur, & requirimus Vener. Decanum, & Canonicos eiusdem, ut officia omnia, præsertim Massariatus, personis integritate, fide, & industria præstantibus committant, quæ non per substitutos, sed per se ipsos ea administrent.

## DE VISITATIONE ECCLESIAE

Sancti Vigiliij. Cap. 25.

**A**Ntecessorum nostrorum Decretum sequentes, mandamus omnibus, & singulis Plebanis, & Rectoribus Ecclesiarum, qui annuatim Ecclesiam matricem sancti Vigiliij, cum Plebibus sibi commissis, visitare consueverunt, ut singulis annis, in festiuitatibus sancti Vigiliij, seu in Anniversario Dedicacionis, uel in festiuitatibus Paschatis Resurrectionis, aut Pentecostes, iuxta morem, & consuetudinem eorundem, unà cum laicis utriusque sexus ad hoc aptis,

*Bern. cap. 27*

*Vide et ibi fidel  
gentis uisitatione  
concessas, quas hic  
non repetit. et  
erant qd dicit*

aptis, vno nimirum pro qualibet domo, se Tridentum con-  
ferant, ac præsentent ad tumulum, & Altare sancti Vigili,  
in signum subiectionis, & reuerentiæ, sub pœna decem li-  
brarum fabricæ sancti Vigili applicanda, quam quemlibet  
presbyterorum, ac etiam laicorum huic nostro decreto con-  
trauentium incurrere uolumus. Alij uerò Plebani de  
mandato nostro, parochianos suos adhortentur, ut & ipsi  
Ecclesiam sancti Vigili supradictis diebus uisitent.

DE VITA, ET HONESTATE  
Clericorum. Cap. 26.

Cap. 10.

Sess. 22. c. 1.  
de refor. &  
Sess. 24. c. 12

Clerici à qui-  
bus abstinere  
debeant.

Corona ge-  
standa.

Barba q̄lis.

**C**VM ad Diuini cultus obseruationem, & augmentum in  
primis pertineat, adscriptos Ecclesiastico ordini cæteris  
uita, & moribus præluere, ac quodammodo præire: Nos  
Cardinalis Bernardi Constitutionem renouantes, omni-  
bus Clericis per Diœcesim nostram ubilibet constitutis,  
cuiuscunque gradus, vel conditionis existant, præcipimus,  
& mandamus, ut qua decet in sortem domini uocatos, gra-  
uitate, modestia, & inculpabili conuersatione (quemadmo-  
dum etiam sacrum Trid. Concilium piè requirit) irrepre-  
hensibiles sese exhibeant.

Abstineant à comestationibus, comotationibus & intempe-  
stiuis conuiujs, choreis, lusibus, spectaculis, tabernis,  
illicitis uenationibus, usura, mercatura, & alijs negotijs,  
& exercitijs secularibus, quibus sanctitas Clericali statui  
debita contaminatur. Armorum etiam deportatione, ri-  
xis, & alijs, de quibus sacri Canones, & præsertim Triden-  
Concilium salubriter, & copiosè statuit.

Et quia per decentiam exterioris habitus, compositi animi af-  
fectus potissimum declaratur; ordinamus, ut omnes Cle-  
rici coronam gerant decentem, & conspicuã iuxta cuiusq;  
ordinis gradum. Barbas uerò tales gerant, ne uideantur  
partium quarundam rasura, militares homines imitari; uel  
planè

planè abrafas, uel circumtonfas gerant, præcipuè verò pilorum præcifione fuperiora labra aperiant.

A fericis, præfertim pretioforibus abftineant: In Ecclefij, & in publico uestes gerant talares nigras, iuxta huius Epifcopatus confuetudinem: Subtancas habeant ad talos ufque demiffas, uel quæ genua ad minus contegant; uel faltem fuperiores uestes talares portent claufas, ita ne inhonestè pectus, uentrem, & femora oftendant.

In Villis & Pagis tamen pro neceffitate aliquâdo breuioribus uti poterunt. Nunquam incedant thorace, & caligis folis induti. Birreta habeant quadra, nec in Ecclefia, aut coram Epifcopo utantur galero: Camifiarum collaria deferant non crispata, neque admodum elaborata, quæ lafciumiam præferant.

Parochi, Cooperatores, & Beneficiati, quum ex obligatione foundationis Diuino officio interfunt, Cottis fint induti.

Quòd fi qui huic Conftitutioni non paruerint, contra eos procedatur iuxta facri Conc. Trid. Decretum feff. 14. ca. 6. cuius circa hæc, tenor talis eft.

Propterea omnes Ecclefiafticæ perfonæ quantumcunq; exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, perfonatus, officia, aut beneficia qualiacunq; Ecclefiaftica obtinuerint, fi poftquam ab Epifcopo fuo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeftum habitum Clericalem illorum ordini & dignitati congruentem, & iuxta ipfius Epifcopi ordinationem & mandatum, nõ detulerint, per fufpentionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ipforum beneficiorum: nec non (fi femel correpti denuo in hoc deliquerint) etiam per priuationem officiorum, & beneficiorum huiufmodi coercere poffint, & debeant; Conftitutionem Clementis V. in Conc. Viennenfis editam, quæ incipit: Quoniam, innouando, & ampliando.

In minoribus ordinibus conftituti, fciant maximè decere, ut ad minus omnibus folennitatibus, & feftis præcipuis Beatæ

*Clerici in minoribus fepe comunicent*

Vir-

Virginis, Sacram fumant Eucharistiam, quod si non fa-  
ciant, tales ad altiores ordines non facile admitantur.

DE CLERICORVM, ET MVLIERVVM  
suspecta, & prohibita cohabitatione.

Cap. 27.

*Mulieres  
quales Cle-  
ricis ad-  
mittuntur*

*Mulieres su-  
specta.*

**C**VM deceat Clericos non solum malo, & culpa, sed etiam  
omni culpae suspitione uacare, prohibemus eisdem om-  
nem suspectam mulierum cohabitationem, statuentes, ut  
nullus Sacerdos, siue Clericus de cetero mulieres apud se  
habere, & tenere audeat, praeter matrem, sororem, ami-  
tam, aut auiam; uel extraneam, quae excedat annum Qua-  
dragesimum quintum, eamque bonae famae, sub poena flo-  
renorum decem, quotiescunque contrafactum fuerit, in  
pios usus applicandorum.

Declarantes etiam illarum cohabitationem esse pro suspecta  
habendam, quae alias in eorundem, aut aliorum concubi-  
nato fuerint, licet ob senium de praesenti uideantur carere  
suspitione; Item & illas suspectas dicimus, quae de leno-  
cinio diffamatae existant.

Quantopere uero detestandus sit concubinatus in his qui Di-  
uinis Officijs, ac ministerijs sunt adscripti, nullis nos uer-  
bis aptius explicare posse arbitramur, quam quibus utitur  
sacrum Conc. Triden. Cuius hac de re decretum ideo de  
uero ad uerbum his nostris Constitutionibus inseri uolui-  
mus, ut omnes intelligant, nos iuxta illius praescriptum;  
contra quoscunque, nullo personarum habito respectu, ut  
officij nostri ratio exigit, processuros: Cuius tenor est.

Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui se Diuino cultui  
addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus, & con-  
cubinatu uersari, satis res ipsa communi fidelium omnium  
offensione, summoque Clericalis militiae dedecore testatur.  
Ut igitur ad eam, quam decet, continetiam, ac uite integra-  
tem,

*7. de Abj. Ricin  
uoluer. 27. de sac.  
de conc. Trid. sess. 25.  
de reform. c. 14.  
Reg. Barbose.*

*Conc. Trid.  
sess 25. c. 14  
de reform.*

tem, ministri Ecclesię reuocentur; populusq; hinc eos magis disceat reuereri, quò illos uita honestiores cognouerit; prohibet sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne cōcubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, uel extra detinere, aut cum ijs ullam consuetudinē habere audeant, alioquin pœnis à sacris Canonibus, uel statutis Ecclesiasticis impositis, puniantur. Quòd si à superioribus moniti, ab ijs se non abstinerint, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum Beneficiorum suorū quoruncunque, & pensionum ipso facto sint priuati, quę fabricę Ecclesię, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicetur. Sin uerò in delicto eodem cum eadem, uel alia femina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerrint; non tantum fructus omnes, ac prouentus suorū beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant; qui prædictis locis applicentur; sed etiã à Beneficiorum ipsorū administratione, (quo ad Ordinarius, etiã uñ Sedis Apostolicę delegatus arbitrabitur) suspendantur. Et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum ijs etiã uersentur; tunc Beneficijs, portionibus, ac officiis, & pensionib<sup>9</sup> quibuscunque, Ecclesiasticis perpetuò priuentur, atque inhabiles, ac indigni quibuscunque; honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs in posterum reddantur; donec post manifestam uitę emendationem, ab eorum superioribus, cū ijs ex causa uisum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint; intermissum cōsortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio, aut exceptio prædictam executionē impediatur; aut suspendatur: Supradictorumq; omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat; q; sine strepitu, & figura Iudicij, sed sola facti ueritate inspecta, procedere possint. Clerici uerò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non ha-

bentes, iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiã, & qualitatem, ab ipso Episcopo, carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsuè modis, iuxta sacros Canones, puniantur.

### DE EBRIETATE CLERICIS

vitanda. Cap. 28.

**Q**Via etiam in Clericali ordine inueniuntur aliqui ita vino dediti, ut limites temperantiæ, & honestatis transgredientes, ipsos seculares alioquin erga religionem bene affectos, sua temulentia ita offendant, ut debitum ordini Ecclesiastico reuerentiæ affectum exuant: Nos huic malo occurrere uolentes, Clericos cuiuscunq; ordinis seriò monemus, ut ab eiusmodi uitio sibi caueant: Statuentes, & ordinantes, quòd si quis Sacerdos, aut Clericus in sacris constitutus, post debitam admonitionem (quæ etiam auctoritate præsentis decreti facta censeatur) ab ebrietate, nec non tabernis, & diuerforijs (excepta causa necessitatis) alijsq; intempestiuis conuiujs, & comotationibus non abstinuerit, prima uice qua in aliquo præmissorum deliquerit, ultra alias pœnas delicti, si quod ibi per eum committi cõtigerit, pœna decem librarum mulctetur, fabricæ Ecclesiæ, cui inservit, pro duabus tertijs, & alia tertia parte denunciatori èt secreto, applicãdam. Si secundò deliquerit, mulcta duplicetur, ac ieiunet semel in pane & aqua, sub reatu peccati mortalis. Si tertio, mulcta, & ieiunium triplicentur. Si uerò ulterius in hoc uitio inforduerit, tanquã incorrigibilis, grauiori pœna, etiã priuationis officij, uel Beneficij, nostro uel Vicarij arbitrio puniatur. Verùm si Clericus sacro ordine non initiatus, uel Beneficiũ non obtinens, in pmissis, uel aliquo præmissorũ deliquerit; pœnas uel mulctas per Nos, uel Vicarium nostrum arbitrandas, se nouerit incursum. Quòd si his modis correpti tales sese non correxerint, uel ob solũ hoc

*Clerici ab ebrietate caueant, & tabernis.*

hoc ebrietatis crimen, reijciantur; quotiescunq; sese examinandos, uel suscipiendorum ordinum, uel concursus ad beneficium obtinendum occasione, presentauerint.

Volentes insuper, & serio mandantes, quod in quolibet casu si præmissorum, tam ex mero officio, quam alio quocunque modo, Vicario nostro beneuiso, contra transgressores summatimè, & de plano procedatur.

## DE HORIS CANONICIS

dicendis. Cap. 29.

**A**Ntecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, statuimus, & ordinamus, ut Rectores tam collegiatarum, quam parochialium Ecclesiarum, procurent in Ecclesijs suis haberi libros horarum, secundum usum Ecclesiæ Romanæ, iuxta cuius stylum, officium ritè peragi possit: Idè; integrè, distinctè, intelligibiliter, atq; attentè, tanquam cum Deo colloquentes, persoluant.

Qui verò horas Canonicas, aut domi, aut foris, seu in itinere, absque legitimo impedimento omiserint, ultra peccatum quod incurrunt, pœnis Constitutionis Pij V. quam hic subiungendam duximus, subiaceant; quæ sic habet.

Ex proximo Lateranensi Concilio pia, & salubris Sanctio emanauit, ut quicumque habens Beneficium Ecclesiasticum cum Cura, uel sine Cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, Diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis, & temporis, suos non faciat; sed eos tanquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum Beneficiorum, uel pauperum elemosynas erogare teneatur. Veruntamen ne multorum animi suspensi teneantur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda, Nos huic rei euentius atque expressius providere uolentes, statuimus, ut qui horas omnes Canonicas uno, uel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficij, seu

Beneficiorum suorū fructus, qui illi, uel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur. Qui uerò matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiā; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat.

Item si aliquis Choro addictus, omnibus horis Canonicis, cum alijs præfens adsit, non tamen recitans; fructusq; & distributiones sola præfentia, iuxta statuta, consuetudinē, foundationem, uel fortè aliter assignatas, sibi lucrificasse prætendat: is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem (sicut ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit) nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit; graue peccatum se intelligat admisisse.

Declarantes præstimonialia, præstimoniales portiones, ac quæliacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri.

At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, cum modo prædicto ad dicendum Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis, decernim<sup>9</sup> obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

## DE SEMINARIO.

Cap. 30.

*Ses. 23. c. 18  
de reform.*

**S**eminarium ex sententia sacri Concilij Triden. stabilire cupientes, ultra Prioratum sanctæ Crucis extra muros Tridenti, & alia iam ante ad ipsum Seminarium destinata; eidem in præfenti Synodo, infra scripta Beneficia, vnâ cum oneribus suis, in perpetuum applicamus, & incorporamus, sine præiudicio tamen in præfentia possidentium.

Videlicet.

Hospitale, seu Prioratum Campelij, cum suis annexis.  
Prioratum sancti Thomæ, Ripæ, & Archi.

Hospi-

Hospitale, seu Prioratum sancti Hilarij Roboreti.  
 Prioratum sanctæ Margaritæ, uallis Lagarinæ.  
 Hospitale, seu Prioratum sancti Martini Tridenti.  
 Prioratum sancti Thomæ in plebe Romeni uallis Annaniæ  
 Prioratum, seu Capellam sanctæ Brigidæ, in plebe Maleti,  
 vall. folis.  
 Prioratum in Tonalo.  
 Beneficium sancti Danielis, plebis Flauoni.  
 Beneficium sancti Galli in plebe Reuodi.  
 Beneficium sancti Lazari, ibidem.  
 Beneficium, seu clericatum in Ecclesia parochiali Leudri.  
 Beneficium sancti Iacobi de Airono, plebis Thioni.

Vt autem interea temporis (uidelicet donec præfata Beneficia cum effectu, Seminario per uacationem applicabuntur) illud sustentari queat, Nos temporariè prouidentes, iuxta eiusdem Concilij præscriptum, deputamus Ven. & Nob. Hieronymum à Roccabruna, Canonicum, & Archidiaconum, necnon Hon. Presbyterum Pompeum Arnoldum Beneficiatum Ecclesiæ sancti Vigiliij, Oeconomum nostrum, qui pro parte Nostra pensatis necessarijs sumptibus, unà cum Ven. Nob. Syluio de Prato, Canonico, & Vicario nostro Generali, ac Hon. Presbytero Bartholomæo Bonetto, deputatis p parte Capituli, & Cleri Ciuitatis, definiat portionem ex Mensa Episcopali; & Capituli, ac fructibus quorumcumq; Beneficiorum nostræ Diocesis detrahendâ, & eidem Seminario (ut præmittitur) medio huiusmodi tempore præstandam.

DE COLLATIONE, BENEFICIORVM,  
 examine, & examinadoribus. Cap. 31.

Vt animarum cura, quæ merito ars artium à sacris Canonibus appellatur, à dignis, & idoneis personis administretur; in collationibus, seu prouisionibus quorumcumq;

Beneficiorum Curatorum, etiã iuris patronatus, formam  
sacri Conc. Trid. seruari volumus, quæ præscribitur in cap.  
18. sess. 24. incip. expedit.

Examinatores autem, qui concurrentium sufficientiam explo-  
rent, in futurum quoq; sicuti iam obseruatum fuit in Syno-  
do, aut aliàs, prout expedit, etiam extra Synodum, subro-  
gari volumus, seruatis omnibus in eorum electione, quæ in  
eodem Decreto Concilij statuuntur.

Qui per examinatorum approbationem, Beneficium Eccle-  
siasticum obtinuerit, si ad aliud postmodum, uel per con-  
cursum, uel aliter promoueri uolet, teneatur rursus se exa-  
mini subijcere, in quo tam eius sufficientia, quàm antea cæ-  
uitæ series exploretur, maximè si à Beneficio simplici, ad  
Curatum aspirabit.

Nullus illegitimè natus, in Ecclesia, in qua pater beneficium  
obtinuit, Beneficium possideat; aut patri in illa seruiat in al-  
taris ministerio; & districtè seruetur Constitutio Conc.  
Trid. sess. 25. cap. 15. de reform. incip. Ut paterna.

*Uide Decret: rub  
lib: de filij p  
seruand.*

VT OBTINENTES BENEFICIA  
incompatibilia, de dispensationibus  
doceant. Cap. 32.

*Bern c. 16.*

**A**Ntecessorum nostrorum decreto circa Beneficia incom-  
patibilia inhærentes, & sacri Conc. Trid. ordinationi sa-  
tisfacere uolentes; statuimus, & ordinamus, ut quicunque  
Clerici in nostra Diocesi plura beneficia obtinent, infra  
quatuor menses à publicatione præsentium in Synodo præ-  
senti facta, immediatè sequentes, de legitimis suis titulis,  
& compatibilitate; & si incompatibilia, de dispensationi-  
bus doceant: Alioquin ex sententia Decreti Trid. Conc.  
iuxta Constitutionem Gregorij X. in Conc. generali Lug-  
dun. editam, quæ incipit Ordinarij; contra ipsos procedemus.

*Sess. 7. ca. 5.  
de refor.*

DE

28

DE RESIDENTIA CVRATORVM.

Cap. 33.

**Q**vicunque in hac Ciuitate, ac Diœcesi nostra, Beneficia obtinent, quibus animarum cura incumbit; in ijs personaliter resideant: quod qui non præstiterint, præter mortale peccatum, quod committunt, nouerint Beneficij etiam fructus pro absentia ratione, suos se non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere posse; tum etiam contra absentes procedendū esse iuxta Trid. Conc. determinationem sess. 23. ca. 1. incip. Cum præcepto Diuino, &c. ad finem. §. eadem omnino. *Bern. c. 18.*

Proinde habentes curam Ecclesiæ parochialis, uel alterius, ab ea non discedant absq; nostra, uel Vicarij nostri licentia in scriptis obtenta.

Si uero ex causa à nobis, uel Vicario nostro cognita, & approbata, alicui licentia discedendi à parochiali fuerit concessa (quæ bimestre tempus, nisi ex graui causa, nō excedat) substitutum idoneum à nobis, uel Vicario nostro approbandū cum debita, & certa mercedis assignatione relinquāt; ut ab eodem Concilio ordinatum est; teneanturq; qui discedēdi tales obtinuerint licentias, de reditu suo Nos, uel Vicariū nostrum quamprimum certiozem facere.

Quòd si ob grauem causam contigerit discessio repentina, infra sex dies curent id nobis, uel Vicario nostro significari, nec ultra terminum à Nobis, uel Vicario nostro, aut Decano foraneo præscriptum absint.

Sed ne tum quidem Ecclesiam suam absq; Sacerdote ad Sacramenta administranda approbato, relinquunt. Quòd si approbatus à Nobis, uel Vicario nostro haberi nō poterit, ad breue illud tempus, quo abesse contigerit, aliquem substituant Decani Ruralis iudicio, & consensu.

Illis temporibus quibus sacræ confessiones frequentantur, nullus facilè, nisi statim eodem, uel ad summū sequenti die rediturus,

diturus, à propria parochia discedat.

Qui Beneficium curatum obtinuerit, si intra annū à die commissæ sibi administrationis, Sacerdotij ordinem non susceperit, nulla etiam præuia monitione, Beneficio se priuatū intelligat, iuxta cap. licet Canon. & cap. cum in cunctis.

## CURATIS, VICARIIS,

& Coadiutores quando deputandi.

Cap. 34.

Quoniam vix prouideri potest, ut non aliquando etiam ad Curata Beneficia imperiti, & parum idonei irrepant, & indigni, quib<sup>9</sup> animarum cura relinquatur, Volumus, vt si qui tales in hac nostra Diocesi reperti fuerint, cōtra eos procedatur iuxta Decretum Conc. Trid. sess. 21. c. 6. de reform. tenoris infra scripti. Videlicet. Quia illiterati, & imperiti parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officijs, & alij propter eorum vitæ turpitudinem, potius destruunt, quàm ædificant; Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, eisdem illiteratis, & imperitis, si aliàs honeste vitæ sint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemq; fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, uel aliter prouidere possint, quacumque appellatione & exceptione remota. Eos verò qui turpiter & scandalosè viuunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant, & castigēt, & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseuerent, eos beneficijs iuxta Sacrorum Canonum Constitutiones, exceptione, & appellatione quacumque remota, priuandi facultatem habeant.

Et quia contingit aliquibus in locis, ob itinerum difficultatē, & longinquitatem, ut fidelis populus ægrè ad parochiales Ecclesias pro Baptisimi, & aliorum Sacramentorum susceptione, cultusq; Diuini frequentatione possit conuenire; ob id in diuersis locis, ac villis extent controuersæ, & lites inter ipsos p̄p̄os, ac iter populos, & parochos; ordinam<sup>9</sup>, vt

in

Cap. 27 et 28.

Clerici incorrigibiles beneficijs priuandi.

Baptisteria quibus merito cōcedēda.

in proxima futura visitatione, inspecta locorum distantia, itinerum difficultate, plebis frequentia, & alijs circumstantijs, iuxta sacri Conc. Triden. dispositionem prouideatur. *Seff. 21. c. 4.*

**CVRATI SVBDITOS SVOS NE GRA-**  
uent in exactione iurium parochialium.

Cap. 35.

**V**T Parochi, & omnes curam animarum exercentes, siue *Bern. c. 31.*  
in ea cooperantes non tantum ab avaritia, ac labe simonia-  
niaca, sed etiam ab omni huiusmodi vitiorum detestabiliu  
suspicione, se plane illibatos seruent; attentè Conc. Trid.  
Decretum de obseruan. & euitan. in celebrat. Miss. medi-  
tentur. Nos autem ut saluberrimam hanc doctrinam factis  
comprobent, volumus, vt suæ curæ commissos nullatenus  
grauent in iuribus parochialibus, de sepulturis, & alijs  
spiritualibus quibuscunque, vlllo modo etiam paciscendo.  
Sed & in specie confessarij caueant, ne poenitentias pecuniarias  
confitentibus imponant, quæ in suam utilitatē quomodocunque  
vergere possint; sed pro qualitate confitentium forsitā impositas,  
eorundem conscientia, uel in elemosynas miserabilium personarum,  
uel piorum locorum erogandas, penitus relinquunt.

*Curati oīna  
auaritiæ sus-  
picionem sus-  
cipiant.*

**DE FORO ECCLESIASTICO.**

Cap. 36.

**C**Vpientes vt in foro nostro Ecclesiastico omnia quàm mi-  
nimis sumptibus, breuissimoq; tempore peragatur; Stauimus,  
ut tam in causis summarijs, quàm ordinarijs probatoriae  
dilationes per dies continuos utriq; parti communes  
constituantur, seruando tamen vt dilationes in ordinarijs,  
dies viginti non excedant, & in summarijs duodecim:  
nisi ex aliqua legitima, & rationabili causa iudici uideatur

C 5 lon.

longiores concedendæ: Idem etiam seruetur in reprobato-  
rijs dilationibus.

*Decanis foraneis concessa facultas.*

In causis summam florenorum decem non excedentibus, si Clericus Clericum, vel laicus Clericum conueniet, summarè, simpliciter, & de plano, sine figura iudicij, sed sola veritate rei inspecta, dirimendi, & decidendi facultatem etiam Decanis foraneis in suo Decanatu concedimus.

*Aduocati, &c. in foro Ecclesiastico, quales nõ admittendi.*

Aduocati, Procuratores, & Notarij publicè criminosi ad forũ Episcopale non admittantur: admissi verò, si tales sint, etiã ex officio reijciantur; & admittendi iurent in manibus nostris, vel Vicarij nostri, omnia se seruatuuros, quæ in ipsa iuramenti formula eisdem proponenda, continebuntur.

*Sess. II. c. I. de reform.*

Idem Notarij pro mercedibus suis non recedat à sacri Conc. Triden. præscripto. Et cum ab officio decedunt, omnia instrumenta, aliasq; scripturas in dicto foro à se confectas, aut in acta relatas, Vicario nostro consignent, qui diligenter curet, & instet, vt mortuo aliquo eorum Notariorum, statim omnes scripturæ sub inuentario consignentur, ac penes eius officium conferuentur, donec de loco idoneo Archiuij prouideatur.

## DE ECCLESIASTICA LIBERTATE & immunitate. Cap. 37.

*Sess. 25. c. 20*

**Q**uæ sacrum Conc. Trid. statuit de Ecclesiastica libertate, ea nostris etiam constitutionibus de verbo ad uerbũ inferenda esse duximus; ut omnes grauißimum dicti sacri Conc. iudicium intelligentes, sciant qualiter sese circa personas Ecclesiasticas, earumq; libertatem, ac immunitatem gerere debeant.

Cupiens sancta Synodus Ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuò factam restatã à quibuscunq; impedimentis conferuari, præter ea quæ de Ecclesiasticis personis constituit, seculares quo-

quoque Principes officij sui admonendos esse censuit, confidens eos, vt Catholicos, quos Deus Sanctæ fidei, Ecclesiæq; protectores esse voluit, ius suum Ecclesiæ restitui non tantum esse concessuros; sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga clerum, Parochos, & Superiores ordines reuerentiam reuocatuos; nec permissuros, vt officiales, aut inferiores Magistratus, Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonici sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent; sed vnâ cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum, & Conciliorum Constitutionibus obseruantiam præstent.

Decernit itaque, & præcipit sacros Canones, & Concilia generalia omnia, necnō alias Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præsentī etiam Decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere. Proptereaq; admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, & omnes & singulos cuiuscunque status, & dignitatis extiterint, vt quò largiùs bonis temporalibus, atq; in alios potestate sunt ornati, eò sanctiùs quæ Ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei præcipua, eiusq; patrocinio testā uenerentur, nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijsuè Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximeq; Ministris ipsorum Principum lædi patiantur, sed feuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atq; Iurisdictionem impediunt, animaduertant; quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionē, Ecclesiarumq; protectionem existant, imitantes anteriores optimos, religiosissimosq; Principes, qui res Ecclesiæ sua imprimis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt: Adeòq; ea in re quisq; officium suum sedulò præstet, quò cultus Diuinus deuotè exerceri, & Prælati ceteriq; Clerici in residentijs, & officijs suis quieti, & sine im-

pedimentis, cum fructu, & ædificatione populi permanere  
valeant. Hactenus Conc. Trid.

Et quoniam non rarò contingit, aliquos ex diuersis causis, ma-  
num Iudicis secularis pertimescentes, ad Ecclesias, sacraq;  
loca cõfugere, ut Ecclesiastica immunitas iuxta sacros Ca-  
nones illesa, inuiolataq; conseruetur, mandamus presbyte-  
ris, atque Clericis quarumcunq; Ecclesiarum, ut Nos, seu  
Vicarium nostrum in Spiritualibus quamprimùm de con-  
fugientibus ad Ecclesias suas, certiores faciant, quò consi-  
derata personarum, locorum, factiq; qualitate, decerni pos-  
sit, quod sacrorum Canonum dispositioni consentaneũ est.  
Non possit autem secularis potestas citrà Ecclesiasticæ su-  
perioritatis licentiam (quæ non detur, nisi in casibus à iure  
permissis) fugientes ad Ecclesiam inde extrahere.

NE CLERICI AD IVDICIA  
secularia trahantur. Cap. 38.

**Q**Via ad Ecclesiasticam libertatem in primis pertinet, ut  
Clerici Ecclesiasticis, tanquã proprijs Iudicibus, subij-  
ciantur: præsentì Decreto statuimus, ne quis Cle-  
ricum cuiuscunq; gradus sit, ad Tribunal Iudicis secularis  
trahere præsumat, neque Iudex secularis suæ cognitionis  
officium contra eum vllatenus interponat. Si secus factum  
fuerit, tam actor, quàm Iudex sententiam excommunicati-  
onis ipso facto incurrant, nunquam ad absolutionis bene-  
ficio admittendi, donec parti læsæ de iniurijs, & expensis  
satisfecerint, uel cauerint, æstimatione & declaratione co-  
ràm nobis, uel Iudicibus nostris legitimè faciendâ: saluis  
Constitutionibus alijs super hoc promulgatis.

DE OFFICIO DECANORVM  
Ruralium. Cap. 39.

**Q**uoniam Decani Rurales ideo potissimùm constituun-  
tur, vt Clericorum honestatem, & confraternitatis suæ  
vuli-

*Vide de h. h. C. h. u. m.  
de iur. iudi. h. u. i. c. 3. q. 1.  
de iur. iudi. h. u. i. c. 3. q. 1.  
de iur. iudi. h. u. i. c. 3. q. 1.  
de iur. iudi. h. u. i. c. 3. q. 1.*

*Clericũ tra-  
hens ad iudi-  
cium secularẽ  
& Iudex co-  
gnoscens sunt  
excoicati.*

utilitatem procurent, mandata nostra, & Vicarij nostri debite exequantur, & singula, quæ à Superioribus iniunguntur, ad notitiam confratrum suorum deducant, ipsos serio admonitos uolumus, ut meminerint, se in partem sollicitudinis nostræ esse uocatos. Quare eis districtè præcipimus, & in vim iuramenti Nobis præstiti, mandamus, ut si quos excessus sciuerint, quibus Ecclesia scâdalizetur, quales sunt, si quid (quod Deus auertat) circa Sacramenta, & eorû administrationem sacrilegè, uel irreuerenter cõmittatur, hæretis suspicio, furtum manifestum, homicidium, incestus, concubinatus, notoria fornicatio, manifesta usura, aut alia delicta tam Clericorum, quàm aliorum; præterea si Clericus excommunicatus se publicè Sacris administrandis ingereret, si usuram qualitercunque exerceret; si post monitionē Decani, tabernis, aut alijs locis inhonestis, ludis publicis, comessationibus, potationibus, & alijs actibus illicitis palam se immisceret, si in habitu laicali, aut inhonesto incederet, & id genus alia, diligenter ea omnia Nos, aut Vicarium nostrum edoceant.

*Decani in sollicitudinis partem uocati.*

## DE ECCLESIIS QUÆ SVNT OBNOXIÆ iuripatronatus, earumq; patronis, & bonis.

Cap. 40.

**I**uripatronatus Ecclesia, seu beneficio aliquo uacante, uolumus, patronum tam laicum, quàm Ecclesiasticum infra tempora à iure præscripta, præsentare; alioquin nos iuxta sacrorum Canonum dispositionem, ea conferemus.

Prohibemus insuper; ne ullus patronus sub prætextu Iuripatronatus, uel quouis quæsito colore, quicquam occupet, seu usurpet eorum, quæ ad ipsa beneficia spectant, sed Sacerdotibus, seu Clericis ad beneficia admissis, atque institutis, omnes prouentus, res, & bona quæcunque, integra relinquat; neq; ausu sacrilego ex eisdem pensionem, partem uellam

*Patronus de bonis Ecclesie nihil sibi usurpet.  
Patronus et Clericus pacifices, quæ*

*pœnā incur-  
rant.*

*Conc. Trid.  
Sess. 22. c. 11  
de refor.*

*Conc. Trid.  
Sess. 24. de  
refor. c. 3 in  
fine*

*Ecclesia Iu-  
rispatr. va-  
cante quid  
agendum.*

*Cap. Laicis  
de iurepatr.  
Bulle iuris-  
patr. i visit.  
recognosce.*

vllam referuare, uel aliam quāmcunq; pactionem simi-  
lem apponere p̄sumat: alioquin tām recipiens, quām dans,  
uti simoniacæ labis rei; eo ipso excommunicationis pœnā  
incurrisse censeantur. Et insuper patronus omni suo, quod  
superinde habebat, iure, instituendus uerò nominationis,  
seu præsentationis commodo, ipso factō sit priuatus.

Præterea patroni in ijs quæ ad Sacramentorum administratio-  
nem, & Diuinum officium peragendum spectant, nullatenus  
se præsumant ingerere; neque uisitatori ornamentorum  
Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu prouentuum fab-  
ricarum sese immisceant. Si quid tamen aliqua reformatione  
dignum aduerterint; id Nobis, aut Vicario nostro  
quamprimùm significant.

Insuper uacante quacunq; huiusmodi Ecclesia, de nostro, uel  
Vicarij nostri, & nullatenus patroni ordine, Vicarius consti-  
tuatur idoneus, & fidelis, qui regat Ecclesiam, necessita-  
tibus prouideat, fructusq; percipiat, & usq; ad nostram, uel  
Vicarij nostri deliberationem, fideliter referuet, rationem  
debitam de eis redditurus.

Denique omnino prohibemus, ne quis prætextu iurispatronatus  
præsentatos Clericos, & per nos admissos, ac institu-  
tos audeat amouere, aut in exercitio officij sui quouis modo  
impedire, uel alios auctoritate propria assumere, sine no-  
stro consensu, sub pœna amissionis Iurispatronatus. Cōtra  
intrusum uerò pœnis suspensionis à Diuinis, & alijs arbi-  
trio nostro uel Vicarij nostri procedi uolumus.

Propterea uisitoribus nostris mandamus, ut si quid fraudis,  
uel suspitionis in Bullarum recognitione, aut alijs repere-  
rint, opportunè iuxta Sacrorum Canonum regulas prouide-  
dere non omitant.

DE ECCLESIIS SARTIS TECTIS <sup>32</sup>

conseruandis, & reparandis, si quæ vetustate  
sint collapsæ. Cap. 41.

**V**T Ecclesiæ sartæ tectæ custodiantur, Constitutionem  
Cardinalis Bernardi sequentes, tectæ, ex quorum negle-  
ctu, & uitio, plerumque ruinarum initium contingit, per  
communitates sub excommunicatiõis, & interdicti penis,  
arbitrio nostro infligendis, refici mandamus: si quæ uerò  
de præsentis sint in nostro Episcopatu, aut futuris tempori-  
bus erunt Ecclesiæ ruinosæ, & quæ reparatione indigeant, uo-  
lumus in ijs restaurandis, seruari decretum Conc. Trid. sess.  
21. cap. 7. de reform. incip. Cum illud quoq; .

*Bern. c. 56.*

Ac proinde præcipimus, ut in proxima futura uisitatione hu-  
iuscemodi Ecclesiarum status, ac necessitas diligenter con-  
sideretur, eaq; omnia remedia adhibeant, quæ dicti Conc.  
Constitutione proponuntur.

DE NOVIS ECCLESIIS

erigendis. Cap. 42.

**P**Ræsenti Constitutione declaramus, ut iuxta Canonicas  
sanctiones nullus intra fines Parochiæ erigat, uel erigi præ-  
tatur nouas Ecclesias, uel in campis Icones, uel capitellos,  
sine licentia nostra. Cum populus nouitate gaudeat, &  
matrices Ecclesiæ talibus occasionebus fraudentur debitis  
honoribus, & sæpenuerò hominum temeritate, falsa pro-  
ueris in his locis publicari compertum sit. Volumus, &  
mandamus, ut Rectores parochialium Ecclesiarum, ubi  
similia attentantur, ad Nos, uel Vicarium nostrum re-  
currant: ut cum causæ cognitione, quod cum pietatis, &  
seruitij Diuini commodo coniunctum erit, decernere pos-  
simus.

DE

DE OCCVPATORIBVS DECIMARVM  
& aliorum bonorum Ecclesiasticorum.

Cap. 43.

**V**Sque ad eò inexplebilis, & cæca temporalium rerum cupido quorundam hominum animos occupat, ut nec ab ijs quæ Dei sunt, eiusq; præcepto Ecclesijs, illarumq; ministris debentur, non secus ac si profana, & in nullius dominio essent, inuadendis; se contineant.

**Q**uod cum alicubi in hac nostra Diocæsi circa Decimas, & nonnulla alia bona Ecclesiarum euenire deprehendamus, Constitutionem bo. mem. Cardinalis Bernardi innouando, eos qui occupant, aut detinent bona Ecclesiæ Sancti Vigilij, aut aliarum Ecclesiarum Ciuitatis, uel Diocæsis nostræ, nisi infra spatium trium mensium à publicatione præsentis Decreti (quem terminum eis, & eorum cuiilibet pro preemptorio, ac monitione Canonica assignamus) ea restituerint, in his scriptis excommunicamus, decreto facti Conc. Triden. (cuius normam in exequendo sequi uolumus) inhærentes; quod propterea hic de uerbo ad uerbum inferendum duximus. Videlicet.

*Bern. c. 27.*

*Ses. 22. c. 11  
de refor.*

**S**i quem Clericorum, uel laicorum quacunq; is dignitate, etiã Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix, cupiditas occupauerit, ut alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis secularis, uel regularis beneficij, Montium pietatis, aliorumq; piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascunq; obuentiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, per se, uel alios, vi, uel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacunq; arte, aut quocunq; quæsito colore, in proprios usus conuertere, illosq; usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu

*Piorum locorum bona  
quacunq; usurpantes,  
anathemati  
subiacent.*

diu Iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus; quos occupauerit, uel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ peruenerint, Ecclesiæ, eiusque administratori, siue Beneficiato integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quòd si eiusdem Ecclesiæ patronus fuerit, etiam Iure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipso priuatus existat. Clericus uerò qui nefandæ fraudis, & usurpationis huiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat, necnō quibuscumque beneficijs priuatus sit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum ordinum executione etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, sui Ordinarij arbitrio, suspendatur. Hactenus Conc. Triden.

*Patronus  
usurpans  
mittit  
Iurisdictionem  
usurpationis  
fabricator  
qui  
subiaceat.*

Pari etiam pœnæ subijcimus eos, qui sciunt tales detentores, & occupatores bonorum huiusmodi, siue feudorum, nisi infra præfatum tempus illos manifestauerint. Et si occupatores, & detentores huiusmodi bona restituere neglexerint, ultra præfatas pœnas, omnibus alijs iuribus, quæ ab Ecclesijs tenent, hoc nostro decreto eos perpetuò priuam<sup>9</sup>, & priuatos esse decernimus. Volentes, ut hæc Constitutio ter in anno publicetur, quum maior uerisimiliter populi multitudo in Ecclesijs reperitur: Denunciatores autè etiã secretos talium occupatorum, ultra mercedem Diuinam, suis præmijs non frustrari.

*Constitutio  
publicanda.*

Statuimus item, & ordinamus, ut Beneficiati, & alij Clerici studeant indagare, si qui sint detentores bonorum Ecclesiarum, aut Decimarum, oppressores piorum locorum, & miserabilium personarum, uiduarum, pupillarum, & orphanorum; & si quos reppererint, illos Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus notificent; ut contra eos, pro ut iustitia postulat, procedi possit, in quo si negligentes fuerint, eorum conscientias oneramus; reservata etiam Nobis, uel Vicario nostro arbitraria punitione.

*Beneficiarij  
vigilant  
contra detentores  
bonorum  
Ecclesiasticorum.*

Et

*Decima in-  
tegrè, et sine  
fraude solu-  
da.*

Et quia secularium nonnulli interdum temeritate propria Decimas, quas omnium Dominus solui precepit, in totum, uel pro parte subtrahere, uel per fraudem diminutas, & uitiatas prestare non uerentur, in animarum suarum graue periculum, præcipimus cunctis prædicatoribus, & confessoribus, tam religiosis, quàm secularibus in uirtute sanctæ obedientiæ, quatenus in prædicationibus, & confessionibus, fidelem populum studiosius moneant, & inducant, ut memores salutis animarum suarum, Decimas omnium terrarum nascentium, sine ulla diminutione, & fraude, personales uerò secundum laudabilem consuetudinem persoluant, si poenas damnationis æternæ uoluerint euitare.

*Ses. 25. c. 12*

Et quoniam magni momenti esse putamus, quòd ultra iam superius dicta, saluberrimum etià Conc. Trid. Decretum de Decimis ad fidelis populi notitiam deducatur, illud hic de uerbo ad uerbum subiungi uoluimus; uidelicet.

*Decimarum  
solutio Deo  
est debita.*

Non sunt ferendi, qui uarijs artibus decimas Ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur, aut qui ab alijs soluendas, temerè occupant, & in rem suam uertunt; cum decimarum solutio debita sit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus cuiuscunq; gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur; in posterum Cathedrali, aut quibuscunq; alijs Ecclesijs, uel personis, quibus legitime debentur, integre persoluant. Qui uerò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur.

*pro decima-  
rum consecu-  
tione, pres-  
sio sint iudi-  
ces seculares*

Omnibus igitur tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus Iudicibus, Officialibus, & Ministris nostris seriò præcipimus, quatenus gratiam nostram caram habent, ut Ecclesiasticis personis, & earum Ministris, pro ipsarum decimarum consecutione, omnino prestò sint, auxilium eis præbendo aduersus pertinaces, & quouis modo in soluendis decimis frau-

DE NOVALIBVS.

Cap. 44.

**P**Lacuit bo. mem. Cardinalis Bernardi Decretum super *Bern. c. 28.*  
 Noualibus per Nos innouatum, hic subiungere. Videlicet.

Licet laici in Ecclesiarum Parochijs decimas possideant ab antiquo, Noualium tamen Decimas, quæ in Parochijs ipsis insurgunt, nullo modo seu titulo ualent possidere, Præsenti itaque Constitutione decernimus, Noualia huiusmodi non ad laicos prætextu decimarum, sed ad Ecclesias, sub quarum districtu crescunt, pertinere, iuri communi, ac Constitutionibus quondam bo. mem. Episcopi Alexandri, ac aliorum Prædecessorum nostrorum, inhærendo, mandamus laicis, & Noualium ipsorum detentoribus, ut ea liberè Ecclesijs dimittant, sub pœnis in eisdem Cõstitutionibus contentis; in quibus præcipitur omnibus, & singulis Plebanis nostræ Diocesis, sub excommunicationis pœna, ut postquam tales detentores legitimè declarati fuerint, excommunicationis sententiam inciderint, publicè diebus Dominicis, & Festiuis, candelis accensis, pariter & extinctis, & Campanis pulsatis, excommunicati denuncientur. Quibus pœnis successores, & hæredes Noualia ipsa usurpantium, pari iudicio volumus subiacerè.

*Noualia ad Ecclesias sub quarum districtu crescunt, pertinent.*

Insuper mandamus uniuersis, & singulis colonis, & afflictalinis, qui agros conuertunt in prata in fraudem, ne decimas soluunt; sub excommunicationis pœna, ut ab eiusmodi fraude desistant; sed de fructibus, etiam secundarijs, quotiescunque etiam in anno nascuntur, & quibus de iure tenentur, decimas dent, & sine aliqua diminutione persoluant.

*Agros in prata conuertentes in fraude Decimas soluunt, excommunicandi.*

DE

*Agros conuertentes in prata, non de eo solui decimas, et conuersione quatuordecim annorum et ad nouum, non de eo solui debent decimas, et videlicet et Capitulum...*

*... non de eo solui debent decimas, et videlicet et Capitulum...  
 ... non de eo solui debent decimas, et videlicet et Capitulum...  
 ... non de eo solui debent decimas, et videlicet et Capitulum...*

DE BONIS ECCLESIAE NON  
alienandis. Cap. 45.

**V**T bona, quae pia fidelium deuotio Ecclesijs contulit, illaesa, & integra custodiantur, bo. mem. Antecessoris nostri Cardinalis Bernardi Decreto inherentes, uetamus omnibus Praepositis, Praelatis, Decanis, Prioribus, Beneficiatis, & alijs quibuscunq; tam secularium, quam regularium Ecclesiarum Rectoribus, ne beneficiorum suorum bona tam immobilia (qualiacunq; ea sint) quam mobilia, praesertim ad Canonica, uel Ecclesiae ipsius usum pertinentia, citra nostrum consensum in scriptis habitum, alienare audeant, sed contra, omni studio aduigilent, ne ipsorum incuria, aut culpa dissipentur, aut ab alijs usurpentur.

*Bern. c. 26.*

*Ecclesiarum  
bona non alie  
nanda, sine  
consensu Or  
dinarij.*

*Caducitates,  
& deuolutio  
nes non remit  
tenda.*

*Locationes  
perpetuas pro  
hibita.*

*Notariorum  
pena scriben  
tium contra  
ctus contra  
hoc capitulum  
Cap. public.*

Prohibemus praeterea omnibus antedictis, ne caducitates, & deuolutiones bonorum Ecclesiarum, & Beneficiorum remittere, aut super his transigere, vel nouas locationes perpetuas, sine nostra licentia, ipsis contractuum instrumentis inferenda, concedere possint, decernentes huiusmodi citra nostram licentiam celebratos contractus quoscumque, licet alijs solennitatibus alioqui sint uallati, nullius esse roboris, & efficaciae. Notarios autem tales contractus scribentes, suspensionis ab officio per annum, & insuper quinque marcarum poena mulctari uolumus. Mandantes ter in anno tempore congruenti hanc Constitutionem per Parochos publicari.

DE BONIS ECCLESiarVM  
administrandis. Cap. 46.

**C**VM Ecclesiarum bona in Dominio Dei sint posita, possessio eorum apud Ecclesiam, administratio uero apud Rectores, omnes Clericos, & Sacerdotes beneficiatos admonemus, & ferio eis praecipimus, ut bonorum huiusmodi dili-

diligentem curam habeant, studeantq; & inuigilent, ne à quoquam usurpentur. Quòd si verò in hoc ab aliquo impediatur, Nobis id denuncient. Et si per eorum negligentiam, Ecclesiæ passæ fuerint damnum, pœnis iuris, & alijs nostro arbitrio afficiantur.

*Ecclesiarum bona diligenter cõseruanda.*

Districtè prohibentes laicis, ne de sepulturis dandis se intromittant; nec campanas, aut alia ad cultum diuinum deputata, contra voluntatem presbyterorum, quocunque modo contrectent: sed eorum usum integrum Parochis permittant; nec in Ecclesijs, & rebus earundem quicquam propria auctoritate ipsi statuere, aut ordinare præsumant: Quod decretum sæpius per annum in Ecclesijs publicari mandamus.

*De sepult. et ad diuinum cultum deputat. et de rebus Eccles. nil statuunt laici. decr. public.*

## DE CONFICIENDIS INVENTARIIS reddituum Ecclesiarum. Cap. 47.

**N**E bona Ecclesiarum iniustè occupètur, Antecessorum nostrorũ menti inherentes, statuimus sub pœna quinq; florenorum, ut quilibet Beneficiatus infra annum à publicatione præsentis Cõstitutionis, bonorum tam mobilium, quàm immobilium Ecclesiæ, & Beneficiorum suorum per Notarium publicum, Inuentarium authenticum curet faciendum: in quo Bonorum immobilium quantitates, & confinia accuratè describantur, quod quidem Inuentariũ, seu copia eius authentica nobis in dicto termino præsentetur, originali apud Ecclesiam, seu Beneficiatum remanente: contra negligentes autem Vicarius noster ad pœnas prædictas, aliasque grauiores pro qualitate contumaciæ, procedat.

*Bern. c. 24.*

*Inuentariũ copia authentica Ordinarario præsentanda.*

DE



scripturas iurium ipsius defuncti, in tuto loco reponi, & ob- *mus &c.*  
signari, quousque Nos, vel Vicarius noster certiores facti *quid agat.*  
simus; interim ipse Decanus provideat de idoneo Sacer-  
dote pro populi, & Beneficij exigentia, vsq; ad vltiorem  
nostram, vel Vicarij nostri deliberationem.

DE SYNDICIS, ET IURATIS  
Ecclesiarum. Cap. 50.

**E**cclesiarum indemnitati providere cupientes, præsentii  
Constitutione ordinamus; ut præter Rectorem, siue Ple- *Syndici qua*  
banum, tanquam principalem, quotannis duo laici bonæ *les eligendi.*  
famæ, & conuersationis, & qui soluendo sint, vel tot, quot  
fuerint necessarij, & opportuni; Syndici seu Iurati fabricæ  
cuiusq; nostræ Diocesis Ecclesiæ constituantur. Qui qui-  
dem laici huiusmodi syndicatus, seu procurationis officia,  
citra eorum priuata commoda, fideliter cum scitu, & con-  
sensu Plebani, exerceant; rationem de singulis per eos col-  
lectis, leuatis, distributis, & factis in præsentia ipsius Recto-  
ris, siue Plebani, tanquam principalis procuratoris, & alio-  
rum, iuxta laudabilem cuiusque loci consuetudinem, sin-  
gulis annis, temporibus consuetis, vnâ cum residuis red-  
dendo. Quæ residua, & in vniuersum, omnia fabricæ cre- *Redditis ra-*  
dita, sub ipsorum syndicatu facta, intra bimestre successio- *tionibus re-*  
rib<sup>9</sup> exacta consignet; sin minus, de suo ea p̄stare teneantur. *sidua succes-*  
*foribus con-*  
Successores verò munus huiusmodi suscipientes, iurent in ma- *signentur e-*  
nibus Parochi, se fideliter officium suū facturos. Parochis *xacta.*  
verò præsentis Decreti auctoritate, huiusmodi iuramentū  
recipiendi, etiam multa renitentibus syndicis indicta, fa-  
cultatem impartimur. Quod nostrum Decretum qui trans-  
gredi ausi fuerint; ij per Rectorem, seu Plebanum canoni-  
cè moniti, si in præmissis non satisfecerint, eo ipso sacrorū  
Canonum pœnas incurrant: Plebani verò de his ad Nos,  
vel Vicarium nostrum referant.

Qua

Qua in re seridè monemus ipsos Rectores, vt diligenter officio suo satisfaciant, alioquin & Deo, & Nobis negligentiae rationem reddituri, condignamq; punitionem recepturi.

*Ecclesiarum pecunia, & instrumenta capsis inclusa seruentur.*

Et vt Ecclesiarum necessitatibus opportunè subueniatur: ordinamus, vt pecuniae ad eas pertinentes, scripturae item, & quaecunq; litterarum monumenta asseruetur in capsis firmiter ad hoc constructis, & loco tutiore positis, quae vt i & gazophylatia, duabus uel tribus clauibus pro locorū conluetudine obserentur; quarum unam Parochus, alteram secularis potestas (vbi ita consuetum est) tertiam Syndici habeant: ita vt neque dicti Syndici, neq; alij possint ijs pecunijs vt; aut alijs vtendas dare. Et qui haecenus pecunias huiusmodi penès se habuerūt, cogatur sub pena dupli fabricae applicanda (quam etiam duplicem poenam, nouo Syn dico intra dictum bimestre, exactionem negligentiae, applicandam eidem fabricae, imponi mandamus) infra idem spacium omnino eas reddere nouis syndicis, ad necessarios Ecclesiarum vsus reponendas, & vbi occasio tulerit, impendendas.

*Pena Syndicorū negligentiae exactionem.*

*Oblationes in capsis Ecclesiarum à laicis non usurpentur.*

Prohibemus etiam, ne oblationes, quae in gazophylatijs, & capsis in Ecclesijs constitutis fiunt, à laicis etiam In patronatus habentibus occupentur; ne uel propria auctoritate in illis se ipsi ingerant, quacunq; arte, uel quaesito colore, in proprios vsus illas conuertendo, seu impediendo, ne ab ijs, ad quos de iure pertinent, percipiantur, sub poena excommunicationis, & alijs iuxta Decretum Conc. Trid. sess. 22. cap. 11. §. incip. Si quem Clericorum.

Et quia saepè magnae quibusdam in locis fieri consueuerūt impense, in adhibendis Notarijs, & conficiendis instrumentis, & scripturis; Item in alijs rebus, quae in libris Ecclesiarum scribuntur: cupientes ipsarum Ecclesiarum indemnitati confulere; Statuimus, quod scripturis, & libris rationum ipsarum Ecclesiarum, necnon locationibus temporalibus, & afflictibus (quos vocant) perpetualibus secundum Constitutiones

*Scripturis et libris Ecclesiarum &c. plebani man-*

tutiones nostras faciendis vsque ad summam viginti quinque Rhenensium, Plebani manu coram Syndicis ipsius Ecclesie, aut Regularis, seu Iuratis villarum, vel duobus saltem idoneis testibus, notatis, plena adhibeatur fides, non secus, ac si Notarij publici manu scriptæ essent. Id quod etiam ad scripturas eadem solennitate antehac factas extendi volumus. Mandantes etiam, vt impensæ, quæ in rationibus Syndicorum recipiendis, fieri consueuerunt, quantum fieri potest, moderentur, ac superflue tollantur: præsertim illæ, quæ in comestationibus, & computationibus in Ecclesiarum detrimentum fieri solent.

*nu notatis.  
fides adhib.*

*Impensa mo  
deranda.*

## DE LEGATIS AD PIAS CAUSAS,

& ad quæ teneantur Notarij.

Cap. 51.

**V**olumus, & mandamus, inhærendo Constitutioni bo-

*Bern. c. 36.*

mem. Cardinalis Bernardi, vt nullus Notarius per totâ Diocesim nostram præsumat conficere vllum testamentum, nisi aliquid fabricæ Ecclesie Cathedralis Sancti Vigiliij Tridenti sit legatum, sub pœna decem florenorum.

Mandamus etiam districtè eisdem Notarijs sub pœna reficiendi Ecclesie de suo quanti illius intererit, necnon peccati mortalis (cuius absolutionem Nobis vel Vicario nostro expressè referuamus) ne animos testantium auertant quominus legata ad dictam fabricam, ac alias Ecclesias, & pias causas, faciant.

*Notarij im-  
pediētes quo-  
minus lega-  
ta pia fiant,  
quam pœnâ  
incurrunt.*

Præterea dolenter audiuius, quod fidelium tam Clericorū, quàm laicorum testamenta, atq; vltimæ voluntates, & maximè pro animarum salute ad pios vsus legata, & relicta, suis debitis executionibus peruerse, & negligenter multis in locis multipliciter frustrantur, & retardentur.

Cum itaq; vltima voluntas testantium, & præsertim ad pias

D cau-

*Vide et Concil. Card.*

*Capo: 22. cap. 8.  
de off. notarij.*

*Legata ad  
pias causas  
executioni  
mandentur.*

*Legata pia,  
& eorū cau-  
se Ordinario  
referuat.*

*Notarij le-  
gata pia Pa-  
rochis exhibeant.*

*Notarij, &  
heredes lega-  
ta pia negli-  
gentes quib.  
penis subia-  
ceant.*

*Idem Ordina-  
rio denun-*

causas, debita executione nullo modo sit fraudanda, & nostro incumbat officio Pastoralis, talibus providere, testamentaq; defendere, & exequi; Vniuersis nostrae Dioecesis, & Iurisdictionis Ecclesiasticis, & secularibus sub interminatione Diuini Iudicij, & alijs poenis, quae Nobis, vel Vicario nostro pro qualitate facti, & personarum infligendae videbuntur, inhibemus, ne testamenta, & vltimas voluntates Ecclesiasticarum, vel secularium personarum, maxime ad vsus pios, earumq; executionem negligent, retardent, vel impediant. Nec testamentorum, & legatorum, quae ad Diuinum cultum pro animarum salute sunt facta, & causarum, occasione ipsorum, pro tempore notarū, & mouendarum, cognitioni se intromittant; sed eam ad Nos, vel Vicarium nostrum remittant.

Mandantes etiam sub eadem poena omnibus Notarijs, vt huiusmodi legata pia, quaecunque in suis instrumentis habent, intra duos menses a publicatione praesentis Decreti computandos, omnino in scriptis exhibeant (etiam si antehac aliquando ea exhibuerint) Parochis, seu Curatis locorum vbi degunt haeredes ad ipsa legata obligati; & in posterum etiam successiue, quaecunque legata pia habebunt, intra duos menses computandos a die mortis ipsorum testatorū, seu codicillantium, exhibeant dictis Parochis, seu Curatis, qui pariter tanquam de animabus sibi commissis, districtè rationem reddituri, serijs adhortationibus efficere student, vt legata huiusmodi infra idoneum tempus iuxta testatorum dispositionem, executionem habeant: In quibus exequendis si Notarij, & haeredes ad legata obligati culpabiles fuerint, vltra praefatas penas, incurrant multā vnius floreni fabricae Ecclesiae Parochialis applicandam, & nihilominus per ipsos Parochos, vel Curatos Nobis vel Vicario nostro quamprimum denuncientur, ad hoc vt officio nostro satisfacere valeamus.

Ipsi quoque Parochi, & Curati in praedictis negligent, eandem

dem poenam incurrañt.

Insuper Decretum hoc integrum saltem bis per annum publicetur in Ecclesijs.

DE LEGATORVM PIORVM  
commutatione. Cap. 52.

QVonia omnium piarum dispositionum in casibus à iure concessis executores sunt Episcopi; Propterea si quæ commutationes legatorum ad pias causas faciendæ videbuntur; mandamus eas ad nos referri, vt possimus iuxta Decretum Conc. Trident. sess. 22. cap. 6. circa eas providere.

Conc. Trid.  
sess. 22. c. 8.  
de reform.

Sicubi uerò uel propter magnum numerum Missarum ex legatis, uel propter tenuitatem Eleemosynarum aliqua opus fuerit noua prouisione, ut pijs testantium mentibus satis fiat; mādamus pari modo de ijs ad Nos referri, ut possimus in Synodo, prout expedire uidebitur, prouidere.

Sess. 25. c. 4.  
de reform.

DE TESTAMENTIS  
Clericorum. Cap. 53.

NE circa Clericorum testaments, & eorum executiones ulla fraudes committantur, & bona per eos relicta ad alios usus, quàm sunt destinata, dispensentur; statuimus ut quicumque in nostra Diœcesi extra Ciuitatem executor, seu Commissarius bonorum relictorum per Clericos decedentes, se intromittere uelit in executione faciendâ, antequàm manum ad aliqua bona detrahenda apponat, omnino conficiendū curet inuentarium authenticum bonorum in hæritate defuncti Sacerdotis repertorium (si quidem ad ualorem rhenensium quinquaginta ascendunt) illudq; ad nos mittat, & de obitu Nos, uel Vicariū nostrum, quamprimū certiore faciat, & ubi legitimè requisitus fuerit

Bern. ca. 37.

*Ubi dicitur quod in hac  
in conspectu Bonorum  
relictorum.*

Inuentaria  
bonorum re  
pertorium in  
hæred. Cler.  
defuncti.

Nobis, aut dicto Vicario integram de inuentis, uel distributis reddat rationem.

Si uerò probabiliter ad ualorem quinquaginta Rhenensium non ascendunt, executor ipse, præsentibus Syndicis, uel duobus testibus fide dignis, inuentarium conficere possit: quo casu etiam suprascripta seruare obligatus sit.

Si quis uerò præmissis non seruatis, bona cuiuscunque Clerici Nobis immediatè subiecti, dispensare præsumpserit, ultra refectionem de suo proprio, arbitrio nostro puniatur.

*Regulari extra claustra, & suorum obedientiam defuncto, quid agendum.*

Mandamus insuper omnibus Parochis per Diocesim nostram ubilibet constitutis, ut si quem regularem cuiusuis ordinis extra claustra, & suorum obedientiam in hac nostra Diocesi mori contingat, eius bona quæcunque, quamprimùm annotent, & Nobis Inuentarium transmittant, eaq; diligenter custodiant, donec à Nobis aliud desuper statuatur, sub poenis arbitrio nostro exigendis.

DE PORTIONE FRUCTUVM POST  
mortem Clerici restantium, successorì  
assignanda. Cap. 54.

**Q**uia uerò frequenter controuersia inter Clericos nouiter promotos ad Beneficia, & executores defunctorum super fructibus restantibus occurrunt, cuius debent applicari: proinde Nos canonum sanctiones imitando ordinamus huiusmodi inter præmissos nostræ Diocesis extra Ciuitatem nostram, faciendam esse diuisionem: Videlicet, ut de superexistentibus fructibus, talis successoribus assignetur portio, unde Iudicio Vicarij nostri, uel Decani Ruralis, honestè sustentari ualeant, usque ad integrorum, & nouorum fructuum perceptionem, quocunque anni tempore decedere contingat Antecessorem, ne Plebs occasione tali, debito defraudetur obsequio.

*Vide et Loh. Zecher  
in sua opuscul. de Beneficiis  
in tit. de Beneficiis  
sub tit. II. de Beneficiis  
& Beneficiis.*

DE SEPULTVRIS.

39

Cap. 55.

**S**Tatuimus, & ordinamus de occisis, seu præuentis mortuis in enormibus, & manifestis peccatis, cuiusmodi sunt interdicti, excommunicati, se ipsos ex desperatione interimentes, Hæretici (quorum sepultura in Ecclesia, ipso facto, Ecclesiastico interdicto subijcitur) publici concubinarij, & vsurarij manifesti, quod in Cæmeterio non sepeliantur, si sine confessione, vel saltem signis contritionis decesserint. Et qui tales scienter sepelierint, absque speciali licentia nostra, vel Vicarij nostri, sententiam excommunicationis hac nostra monitione præmissa, ipso facto, & vltiorem penam, etiam arbitrio nostro infligendam incurrant. Adijcientes, vt cadauera contra hanc nostram Constitutionem sepulcorum exhumentur, & sepultura careant Ecclesiastica.

*Bern. c. 59.*

*Ecclesiastica sepultura indigni.*

*Qui indignos scienter sepeliunt, quorum penam incurrun.*

*Indig. sepul. exhumentur.*

**V**t insuper occurramus nimie quorundam ambitioni, qui non contenti fidelium cæmeterio, loco ad hoc destinato, in ipsis Ecclesijs, atq; adeo iuxta altaria, volunt sua, suorumq; cadauera tumulari: serio prohibemus, ne vllus posthac cuiuscunque conditionis, vel gradus existat, sepulcra noua in Ecclesijs condere præsumat, sine nostra, vel Vicarij nostri licentia speciali. Qua obtenta, teneantur nihilominus sepulcra ipsa, solo æquata lapide ita plano tegere, vt vel armorum, vel aliarum imaginum sculptura desuper transeuntium pedes non offendant, nec Diuinum officium impediunt. Parochi non permittant vlla in Ecclesijs, aut Capellis depingi arma, nisi ab ijs qui eas fundauerint, aut in toto, vel maiore parte dotauerint, restaurauerint, aut alias notabiliter de ijs sint benemeriti.

*Sepulcra in Eccles. qualiter concedenda.*

*Arma, vel insignia in Eccles. depingi quib. concedendum.*

DE REGVLARIBVS.

Cap. 56.

**V**T qui Regularem viuendi normam elegerunt, secundum regulas suas, & Decreta sacre Oecumenice Syn. Trid. vi-

D 3 uant;

*Mulieres  
nulla intra  
monasterio-  
rum septa ad-  
mittantur.  
Pius V. Bul-  
la incip. Re-  
gularium.  
Gr. xiiij. Bul-  
inc. ubi grat.*

uant; decernimus, atq; mandamus omnibus Præpositis, Priorib<sup>9</sup>, Guardianis Ciuitatis nostrę, ut ultra professionis suę Regulas, omnia ea & singula, quę in eodẽ Conc. Trid. de refor. regularium sancita, quęq; per Summos Pontific. decreta sunt; tum in admissione ante religionis professionem: tum etiam in electionibus ad regimen monasteriorũ, & reliqua vitę norma instituẽda, plenẽ & exactẽ obseruẽt. **Q**ua in re nequis negligentię, aut inobedientię suę impunitatem speret, præsentĩ Decreto scire volumus Regulares omnes, Nos in casibus quos nobis dictũ Conc. Trid. tum fœl. record. Pont. Max. Pius V. & Greg. XIII. suis Constitutionibus hac in parte delegant, contra transgredientes seuerẽ esse processuros. Ante omnia verò caueant, ne ulla mulieres cuiuscunq; conditionis sint, intra Monasteriorum suorum septa admittant; alioqui pœnis in dictis Bullis contentis seuerẽ puniendi.

**V**t autem Nouitij in Monasterijs præsertim Sancti Michaelis, & Sanctę Marię in Gries admissi, utiles euadant religioni; præcipimus Præpositis, vt prouideant de Ludimagistris sufficienter eruditis, & bonę famę, qui eos tam bonis litteris, quàm moribus instruãt, & doceant; qui in manibus ipsorum Præpositorum professionẽ fidei ante omnia emittant. Habeant etiam Theologum, qui religiosos in ijs quę regulam, conciones, conscientię casus, & id genus alia respiciunt, omni qua potest diligentia instruat, iuxta sacri Conc. Trid. Decretum, sess. 5. cap. 1. de refor.

## DE MONIALIBVS.

Cap. 57.

**M**oniales etiam ad Regulã, quam professę sunt, præscriptum, uitam suam componant, ordinumq; suorum vota custodiãt: ante omnia verò clausura sicubi neglecta fuit; restituatur, & inuiolatẽ obseruetur, iuxta præscriptum supra-

prædictarum Constitutionum Pij V. & Greg. XIII.

Serio etiam mandamus, sub eisdem censuris, & pœnis, omnibus, & singulis personis cuiuscûq; status, & dignitatis sint, tam Ecclesiasticis, quàm laicis, ne vllò quæsito colore, audeant ingredi sanctimonialium septa, sine nostra, uel Vicarij nostri licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso factò incurrenda, iuxta Trid. Conc. sess. 25. cap. 5. de Regul. & Monial.

*Monialiũ  
septa ingredi  
Ecclesiasticis  
& laicis  
interdictum.*

In alijs quæ ad sanctimonialium disciplinam spectant, ea seruentur, q̄ sacri Trid. Conc. & supradicti Pontif. in allegatis Constitutionibus præcipiunt, quorum omnium obseruationem & executionem Nos exactè prosequemur.

Is tantum numerus Monialium constituatur, & in posterum conferuetur, qui uel ex redditibus proprijs Monasteriorũ, uel ex consuetis elemosynis commodè sustentari possit, iuxta Decr. Concil. Triden. sess. 25. cap. 3. incip. Concedit sancta Synodus.

*Monialiũ  
numerus mo  
derandus.*

## DE CLERICIS IGNOTIS

& peregrinis, ac Regularibus extra Claustra degentibus. Cap. 58.

**N**E quis Clericus, aut Religiosus profugus, aut aliàs criminofus in Episcopatu nostro posthac refugium, aut latibulum quærat; Statuimus, & ordinamus, ut de cætero nullus religiosus extra claustra degens, aut ignotus, siue peregrinus Sacerdos, ne dum ad vllam partem curæ animarũ exercendam, sed nec ad sacrum celebrandum (itinerantibus, qui suorum ordinariorum, aut alioqui fide dignas litteras exhibeant, exceptis) sine nostra, aut Vicarij nostri licentia, in scriptis habita, admittatur: Si secus factum fuerit, qui id permittit, si quidem Beneficiatus fuerit, quoties contrauerit, pœnam decem floren. incurrat: Si non fuerit Beneficiatus, arbitrio nostro, vnà cū ab ipso admisso, puniatur.

*Sacerdotes,  
qui ad Diuina  
nō admittendi.*

Licentiam autem huiusmodi nulli neque seculari, neque regulari Sacerdoti peregrino concedi volumus, nisi & formatas suas, & sui Ordinarij testimoniales, ac commendatitias exhibeat.

Si qui verò religiosi extra Clausura ad praesens in Dioecesi nostra moram trahunt, etiam si aliàs à Nobis, uel Vicario nostro commendandi licentiam impetrauerint, volumus, ut infra duos menses, à praesentium publicatione, se coràm dicto Vicario sustant, licentiamq; obtentã exhibeant. Quod nisi fecerint, contra eos iuxta sacros Canones procedemus, procediq; mandamus; nulla eisdem licentia, aut tolerãtia, elapso dicto termino, suffragatura.

Porrò si quis huiusmodi religiosos contra hanc nostram prohibitionem fouere praesumpserit, contra eum per Vicarium nostrum debitis poenis, etiam excommunicationis (si opus fuerit) procedatur.

## DE QUÆSTVARIIS ORDINVM Mendicantium. Cap. 59.

*Quaestuarij  
qui, & qua-  
liter admit-  
tantur.*

**T**amet si Quaestuariorum nomen, atq; vsus Conc. Triidentinus aboleuit, Nihilominus Bullæ Pij V. inhaerentes, admittimus, ut fratres Ordinum Mendicantium nostræ Dioecesis, possint eleemosynas solitas per Episcopatum nostrum petere; & qui Sacerdotes fuerint, Diuina officia inter petendum celebrare, ad quod tamen licentiam (quæ ultra annum se non extendat) in scriptis à Nobis, uel Vicario nostro obtinere, & Parochis, ac alijs quibuscunq; animarum curam gerentibus, ad quos diuertent eleemosynas petituri, ostendere, eleemosynasq; per se ipsos, non autem per personas substitutas, colligere teneantur.

*Quaestuarij  
celebrare pos-  
sint, nõ autẽ*

Quibus per licentiam huiusmodi, Missas tantum celebrandi, non autem concionandi, aut confessiones audiendi facultas data intelligat, alijs quibuscunq; praeter antedictos religio-  
sos

41  
fos mendicantes, penitus interdictis, & exclusis. Indulgentias autem publicare aut Icones, Cruces, uel similia, occasione illa, uendere nulli supradictorum liceat. *concionari; nec confessio nes audire*

## DE CONFRATERNITATIBVS

Cap. 64.

**C**Vm per Dioecesim nostram Confraternitates multæ institutæ reperiantur ad pia opera exercenda, easdem per Rectores, vitæ & morum integritate probatos, piè ac rectè gubernari cupimus; Mandantes quòd cum earum priuilegijs diligenter examinentur, ac visitentur, & quæ negligenter, uel indecenter haberi compertæ fuerint, si nulla alia ratione ad obseruantiam condecentem reduci poterunt, tollantur. De cætero verò nullæ absque auctoritate nostra institui, uel erigi possint.

*Præuilegia  
Confraterni-  
tatum exa-  
minanda.*

Parochi uerò, ac Decani intra quorum fines Confraternitates constitutæ reperiuntur, eandem adhibeant diligentiam, ut omnia in eis decenter, & piè peragantur.

*Parochi, &  
Decani sata-  
gant.*

Et si quos redditus, aut alia bona possident, ea omni studio cõseruari, & singulis annis per Massarios administrationis exactam rationem reddi uolumus.

## DE HOSPITALIUM ET ALIORVM

piorum locorum administratione.

Cap. 61.

**Q**Via sacrum Trid. Conc. nobis imponit curam prouidendi, ut Hospitalia, & alia loca pia fideliter administrantur; Statuimus, ut qui ad Hospitalium, Montis pietatis, & piarum Confraternitatum quarumcunq; regimen assumuntur, iurent in manibus Vicarij nostri, uel ab eo deputati, se fideliter officium suum facturos, bona ipsorum locorum ad deputatos usus dispensaturos, & si quæ indebitè

*Uide Sac. Concil:  
Siden: 22.  
sub licent: infra:  
cap. 8º.*

D 5 alic-

alienata fuerint, recuperaturos.

Ne uerò bona huiusmodi locorum piorū & eleemosynas ad priuata sua cōmoda conuertant, omnia mobilia, & immobilia bona in Inuentarium diligenter redacta, durante eorum administratione (quæ ultra trienniū non extendatur) nullatenus conducere, uel suis usibus accommodare possint; ac singulis annis Nobis, uel Subdelegatis nostris administrationis rationem reddere teneantur, recusantes, Ecclesiasticis censuris compellantur.

*Fabricæ rui  
nostræ restaurandæ.*

Qui uerò Hospitalia ad pauperum usum instituta in Prioratū, administrationem, uel quemcunq; alium titulum obtinuerint, fabricas ruinosas restaurent, & fartas tectas custodiāt, debitaq; onera præstent: in quo si negligentes fuerint, secundum sacrorum Canonum, & Conc. Trid. dispositionē, contra eos procedemus.

*Mons Pietatis.*

Mons pietatis Ciuitatis nostræ (vnde mutuas pecunias gratis pauperes accipiunt) & si quæ sunt alia huiusmodi in Diocesi nostra, à Præfectis, quorum fides, innocentia, & charitas grauiorum uirorum testimonio commendata fuerit, studiosè, ac fideliter administrantur. Et omnia iuxta Conc. Triden. à Vicario nostro uisitentur, & recognoscantur.

## DE ADULTERIS, ET Concubinarijs. Cap. 62.

*Sess. 24. c. 8.  
de ref. matr.*

**F**œdum adulterij, & concubinitus peccatum à nostro Episcopatu eliminatum cupientes, sacri Triden. Concilij præscriptum inuiolabiliter obseruandum duximus: cuius Decretum ob id hoc loco inseri uoluimus, ut sciant omnes, Nos contra eos esse processuros secundum dicti Concilij regulas: Cuius Decreti tenor est.

Graue peccatum est homines solutos concubinas habere; grauiissimum uerò & in huius magni Sacramenti singularem contemptorum admissum, vxoratos quoq; in hoc damnationis

tionis statu viuere, ac audere eas quandoq; domi etiã cum vxoribus alere, & retinere. Quare vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remedijs prouideat: statuit huiusmodi concubinarios tam solutos quã uxoratos cuiuscunque status, & dignitatis, & cõditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio admoniti ea de re fuerint, cõcubinas non eiecerint, seq; ab earum consuetudine non se iunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua nõ absoluant, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quòd si in adulterio, uel concubinato per annum censuris neglectis, permãserint, contra eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres siuè conjugatæ, siuè solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinarijs publicè uiuunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinarijs locorũ, nullo etiam requirente, ex officio grauius pro modo culpe puniantur, & extra oppidum, uel Diocesim, si id eisdem Ordinarijs videbitur, inuocato (si opus fuerit) brachio seculari, eijciantur: alijs pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in suo robore permanentibus.

#### NE PARENTES CVM FILIIS AUT

Filiabus, aut Fratres cum sororibus in  
vno lecto dormiant. Cap. 63.

**Q**uandoquidem intelligimus in hac nostra Diocesi parentes cum filijs, uel filiabus, fratres cum sororibus, & alijs consanguineis suis proximis, adultis præsertim, in vno lecto interdum dormire, cum euidenti incestus, & damnationis animarum suarum periculo, ne id in posterum fiat, uel paupertatis, uel alterius cuiuslibet necessitatis prætextu, monemus Parochos, ut suos parochianos, posito ipsis ob oculos periculo peccati horrèdi imminentis, minis & pœnis ab huiusmodi condormitione deterreant, & si necessitatem ita exigere uideant, Nobis, uel Vicario nostro

*Uile Craxie. dñi.  
32. de Fraxiac.  
9. 136. tit. de h.  
lic. can. n. 209.*

*Infantulos  
noctu ma-  
tres, & nu-  
trices nō ni-  
si cautē in le-  
cto secū ha-  
beant.  
Decr. infim.*

stro denuncient pro qualitate facti coercendos, & punien-  
dos. Pariter matres, & nutrices hortentur, ne infantulos  
noctu in lecto secum habeant propter periculum suffoca-  
tionis, uel saltem ita eos accommodent, ut non periclitentur:  
quemadmodum etiam in nostro Rituali monentur, &  
poterunt Parochi opportunè Dominicis dieb<sup>9</sup> per annum  
aliquoties hoc decretum insinuare.

DE VSVRIS, ET ILLICITIS  
contractibus. Cap. 64.

**Q**uamuis vsuraria prauitas quantò pluribus Constitutio-  
nibus reprimitur, tantò acrius per nouas fraudes erum-  
pit; solerter nihilominus cupidorum hominū auaritia,  
& iniquitati obuiam eundem esse, & diuinæ, & hu-  
manæ leges admonent. Ac proinde Nos Cardinalis Bernar-  
di, & aliorum Prædecessorum nostrorum Constitutio-  
nes renouantes: statuimus ut iuxta canonicas sanctiones  
contra quoscunq; manifestos usurarios seuerè procedatur.  
Et quia cupiditatis stimulis acti auari, & omnis christiane pie-  
tatis obliti, lucris per fas, & nefas inhiantes, varijs technis,  
& fraudibus usurariam prauitatem contegunt, & obuolunt.

*Palliatorū  
cōtractuum  
indicia.*

Quandocunq; contractus aliquis sub titulo, & nomine uendi-  
tionis, emptionis, locationis, societatis, permutationis, aut  
quouis alio celebratus fuerit; si ex circumstantijs personarum,  
rerum, temporis, pretij, lucri, aut alijs verisimilibus coniecturis,  
constiterit, secundum latentem contrahentiū mentem,  
contractum diuersum esse à substantia realis, puri, & legitimi  
contractus, sub cuius nomine celebratus fuit; Declaramus  
usurarium esse, & pro tali haberi debere; ac contra ita  
contrahentes, ut contra usurarios esse procedendum  
(etiam si tales contractus, ut iniusti, & illegitimi, fuerint  
in iudicio rescissi) ob lucrum certum, uel probabile;  
habi-

habitum, aut expectatum; ex pecunia, re exhibita, uel nō exhibita; uel eius pretio.

Quod si Notarij scienter celebrauerint contractus tales, aut ubi etiam res de quibus contrahitur non extant, uel ubi pecunia, de qua fit mentio in instrumento, realiter non exhibetur, aut non integrè exhibetur, uel pro pecunia diuersæ merces, res mobiles, aut se mouentes iusto pretio etiam non æstimatæ representantur, aut pro representatis habentur, Declaramus illos teneri in conscientia ad damna parti læsæ reficienda: Et tales Notarios ipso iure, & factō censeri priuatos tanq̄ indignos officio tabellionatus, eosq̄ à matricula Notariorum deleri uolumus. Decernentes etiam quod testes, qui scienter interuenerint talibus fraudulentis, & simulatis contractibus, item proxenetæ qui tales contractus tractauerint, tanquam participes prauitatis usurariæ, uelut usurarij puniantur.

Quia uerò multiplices istæ simulatorum cōtractuum fraudes, vulgo notæ non sunt, Parochi, Concionatores, & Confessarij per occasiones eos ardenti stylo infectentur, detestabilem eorum iniquitatē, & pœnas grauissimas exaggerando.

Quod ut facilius præstare queant, Nos per speciale edictum usitatoribus in hoc Episcopatu damnatorum huiusmodi contractuum speciebus propositis, ipsis normam, quam sequantur; suggeremus.

*Notarij quādo in conscientia tenentur ad dāna parti læsa.*

*Notarij qui officio priuati sūt.*

*Complices fraudulentorum contractuum.*

*Subscriptores que dicitur in hoc cap. c. 46.*

DE IVDÆIS. Cap. 65.

Quoniam honestas exigit, & uniuersalis Ecclesiæ consuetudo seruat, ut Iudæi à Christianis aliquo notabili signo discernantur: Volumus & ordinamus signū illud esse debere, circulum de filis croceis in ueste extrinseca ante pectus, quo, ad masculos, & duas rigas flauī coloris in peplis mulierum. Volumus etiam cap. Post miserabilem: de usuris, huic statuto esse annexendum, & inferendum, & cum

*Bern. c. 46.*

eum eo publicandum: Cuius tenor subsequitur.

Post miserabilem, & infra. Iudæos ad remittendas Christianis vsuras per Principes, & potestates compelli præcipimus secularis, & donec eis remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus tam in mercimonijs, quàm in alijs, per excommunicationis sententiam, eis iubemus communionem omnino denegari.

Famulatum autem Christianorum, præterquàm in casibus à Sacr. Canonibus permisis, penitus eis interdiciamus, sub pœnis ipsorum Canonum, arbitrio nostro aggrauandis.

CAPITVLVM OMNIS VTRIVSQUE:  
de pœnit. & remis. Cap. 66.

**O**Mnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit; omnia sua, solus, peccata saltè semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti; & iniunctam sibi pœnitentiam, proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum. Nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab eius perceptione abstinendum duxerit. Alioquin & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur; & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesijs publicetur, ne quisquam ignorantie cæcitate, uel amen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti uoluerit iusta de causa confiteri sua peccata; licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote; cum aliter ipse illum non possit soluere, uel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus; vt more periti medici; superinfundat vinum, & oleum vulneribus fauciati; diligenter inquirens de peccatoris circumstantijs, & peccati. Qui prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium; & cuiusmodi remedium adhibere; diuersis experimentis utendo.

ad

*Hoc cap. omnia  
continetur pœnitentia.  
ex. la. agniti: et  
omnium.*

ad sanandum ægrotum. Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo, prodat aliquatenus peccatorem. Sed si prudentiore consilio indigerit; illud absq; ulla expressione personæ, cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiâli iudicio sibi detectum, præsumpserit reuelare; non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus; verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiâ, in arctum monasterium detrudendum.

## CASVS RESERVATI.

Cap. 67.

- 1 Hæretici manifesti, vel occulti.
- 2 **H** Qui cognoscunt, aliquem hæreticum esse, aut aliquem tenentem libros hæreticos, vel vendentem illos, & istos non reuelant, tenentur enim reuelare.
- 3 Qui manum violentam in Clericum iniecerint.
- 4 Homicidæ voluntarij, siue procurantes mortem alicuius quomodolibet.
- 5 Fallarij; scilicet, qui litteras, aut instrumenta falsa supponunt. Falsi testes. Et qui rogati, veritatem periu-  
rando, cęlant.
- 6 Adulteri, & concubinarij publici. Qui verò secreti fuerint, poterunt absolui.
- 7 Qui post sponsalia facta, antequàm contrahant matrimo-  
nium, carnali copula se commiscuerint; nisi matrimo-  
nium succedat. *si intra dies septem contraxerint.*
- 8 Parentum atroces percussores.
- 9 Viri, qui in primo, & secundo gradibus incestum commiserint.
- 10 Notarij, qui non denunciant legata ad pias causas, & impedi-  
entes legata fieri, vel auertentes animos Testan-  
tium, ne legata ad pias causas faciant.
- 11 Qui carnes in contemptum, tempore Quadragesimæ, come-  
me-

- medunt, ac alijs temporibus prohibitis.
- 12 Incantatores, Incantatrices in grauibus rebus non debent absolui. In leuibus verò, & superstitionibus, seu ligaturis, quæ non habent expressam inuocationem Demoni, aut Sacramentorum abusum; poterunt absolui.
  - 13 Confessores, qui sine peculiari licentia Superiorum, à Censuris, & Casibus Referuatis Episcopo absoluunt, Quorum absolutio nulla est.
  - 14 Blasphemantes nomen Dei, in iudicio conuicti.  
¶ In omnibus superscriptis Casibus, mulieres sunt absoluedæ; nisi peccatum earundem fuerit publicum.

---

¶ Ne tamen aliquis sine Confessione pereat; superscripti Casus ita intelliguntur, vt nulla sit referuatio in articulo mortis. Ideoq; omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibusuis peccatis, & censuris absoluere poterunt in ipso mortis articulo.

## DE CONSTITVTIONIBVS.

Cap. 68.

**N**E quis autem harum Constitutionum Synodaliū ignorantiam prætere ualeat, præcipimus omnibus tam religiosis, quàm secularibus Presbyteris nostræ iurisdictioni subiectis, cuiuscunque status, & dignitatis existunt, sub pœna duorum florenorum, fabricæ S. Vigiliij applicandorum, exemplum infra spatium duorum mēsum, postquam impressæ erunt, habere procurent: vitamq; suam, ac mores iuxta earum ductum, & normam ita intituant, ac reforment, vt quibus præsent, iisdem & præluceant ad laudem, & gloriam Dei, qui sit benedictus in secula. Amen.

F I N I S.



# INDEX RVBRICARVM

numero-Capitula, & numero folium denotante.



<i>A</i>		Decanorum Ruraliu officio. c. 39. 30
<b>A</b> Raportatili. Cap. 15.	14	<i>E</i>
<i>A</i> dulteris, & concubinarijs.	41	<b>E</b> cclesia Cathedrali. cap. 24. 22
Cap. 62.		Ecclesia S. Vigily uisitatione.
<i>B</i>		Cap. 25. 23
<b>B</b> laspheinis. cap. 4.	7	Ebrietate Clericis uitanda. c. 28. 25
Bonis Ecclesie non alienandis.	34	Ecclesiastica libertate. c. 37. 29
cap. 45.		Ecclesijs que sunt obnoxia iuripa-
Bonis Ecclesie administran. c. 46. 34		tronatus, earumq; patronis &
Bonorum Ecclesiarum inuentarijs		bonis c. 40. 31
conficiendis. c. 47. 34		Ecclesiarum factis tellis conserua-
<i>C</i>		dis, & reparandis si que vetu-
<b>C</b> onfessarijs, & eorum exami-		state sint collapsa. c. 41. 32
ne. c. 18. 17		Ecclesijs nouis erigendis. c. 42. 32
Casus Reservati. c. 67. 44		<i>F</i>
Clericorum, & mulierum suspecta,		<b>F</b> estis obseruandis. c. 23. 21
& prohibita cohabitatio. c. 27. 24		Foro Ecclesiastico. c. 36. 29
Collatione beneficiorum examine,		<i>H</i>
& examinatoribus. c. 31. 27		<b>H</b> ereticis. c. 2. 5
Clericis ignotis, & peregrinis, ac		Horis Canonice dicendis.
regnaribus extra claustra de-		Cap. 29. 26
gentibus. c. 58. 40		Hospitalium, & aliorum piorum
Confraternitatibus. c. 60. 41		locorum administrat cap. 61. 41
Concubinarijs. c. 62. 41		<i>I</i>
Constitutionibus. c. 68. 44		<b>I</b> maginibus. c. 16. 15
<i>D</i>		Ieiuniorum diebus. c. 23. 21
<b>D</b> octrina Christiana. c. 7. 9		Iudicis. c. 65. 43

*Dei no ualio*  
*cap. 24*


	<b>L</b>	
<b>L</b>	ibris prohibitis, & Typographis. Cap. 3.	6
	Locationibus bonorum ecclesiarum. cap. 48.	35
	Legatis ad pias causas, & ad que tenentur notarij. c. 51.	37
	Legatorum piorum commutatione. cap. 52.	38
	<b>M</b>	
<b>M</b>	Onialibus. c. 57.	39
	<b>N</b>	
<b>N</b>	E Curati subditos suos graudet in exactione iurium Parochialium. c. 35.	29
	Ne Clerici ad secularia iudicia trahantur. c. 38.	30
	Nonalibus. c. 44.	34
	Ne vacantes Ecclesie spolientur. c. 49.	35
	Ne parentes cum filijs, aut filiabus, aut fratres cum sororibus in vno lecto dormiant. c. 63.	42
	<b>O</b>	
<b>O</b>	Rnatu altarium. c. 16.	15
	Observandis in colatione ordinum. c. 21.	19
	Obtinentes beneficia incompatibilia, de dispensationibus doceant. cap. 32.	27
	Occupatoribus decimarum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum. cap. 43.	32
	Omnis vtriusq; sexus. c. 66.	43
	<b>P</b>	
<b>P</b>	rofessione fidei. cap. 1.	3
	Predicatione verbi Dei. c. 6.	8
	<b>P</b> redicatoribus extraordinarijs examinandis. cap. 8.	9
	Portione fructuum post mortem Clerici restantium successoris assignanda. c. 54.	38
	<b>Q</b>	
	uestuarijs ordinum mendicantium. c. 59.	40
	<b>R</b>	
<b>R</b>	ectores Parochialium veniant aut mittant ad Sacrum Christisma conficiendum. c. 12.	12
	Reliquiarum sanctar. cultu. c. 16.	15
	Residentia curatorum. c. 33.	28
	Regularibus. c. 56.	39
	Regularibus extra claustra degentibus. c. 58.	40
	<b>S</b>	
<b>S</b>	uperstitionibus. ca. 5.	7
	Sacramentis. c. 9.	10
	Sacramento baptismi. c. 10.	10
	Sacramento confirmationis. c. 11.	11
	Sacramento Eucharistie. c. 13.	12
	Sacrificio Missae. c. 14.	13
	Sacramento penitentiae. c. 17.	15
	Sacramento excommunicationis. c. 19.	17
	Sacramento ordinis. c. 20.	18
	Sacramento Matrimonij. c. 22.	19
	Seminario. c. 30.	26
	Syndicis, & Iurais Ecclesiarum. cap. 50.	36
	Sepulturis. c. 55.	39
	<b>T</b>	
<b>T</b>	estamenti Clericoru. c. 53.	38
	<b>V</b>	
<b>V</b>	lta, et honestate cler. c. 26.	23
	Vsuris, et illic. contra. c. 67.	42
	Vicarij, & coadiutores quando Curatis deputandi. c. 34.	28


F I N I S.



P/6011

24  
9  
f  
38  
40  
ant  
tri-  
12  
17  
28  
39  
anti-  
40  
7  
10  
10  
11  
12  
13  
15  
17  
18  
19  
25  
m-  
36  
39  
38  
23  
44  
C  
28





BIBLIOTECA  
COMUNALE  
TRENTO

T
0
F
18



1000  
1000  
1000  
1000  
1000

V. 1. 1.  
S. 1.

CONSTITUTIO

ILLVSTRATA

ET REVERENDI  
D. LVDOVICI S

Sancti Laurentij in L

Cardin. Madrut

Tridenti,

IN DIOECESAN

Promulgatae Ar



TRIDENTINA

Apud Ioan. Baptistam Ge

*Ioan. Baptista*  
*Ge...*

